



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Brevis Institvtio De Salvtari Poenitentia Peccatoris


Viexmont, Claude de

Coloniae Agr., 1725

VD18 1361598X

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50113)








Th. 2910.



f. 1v.  
39.







BREVIS  
INSTITVTIO

DE  
SALVTARI  
POENITENTIA PECCATORIS;

AVTHORE  
CLAVDIO VIEXMONTIO  
Parisiensi,

A. R. in Christo Patri & Domino D. Martino  
Rythouio, Hyprenſium Epifcopo apprime  
commendata.

*Colly. S. S. Permiſſu Superiorum. Paderb.*



---

COLONIÆ AGRIPPINÆ  
Apud IO. WILHELMVM HVISCH, Bibl.  
Anno 1725.



*Extractum è registro conclusionum sacrae Facultatis  
Theologicae in Uniuersitate Parisiensi.*

**A**Nno Domini millesimo quingentesimo trigesimo tertio, die tertia mensis Nouembris, congregata Facultate Theologiae apud sanctum Marcinum, audita relatione honorandorum Magistrorum, qui fuerant deputati ad visitandum librum recenter compositum, qui inscribitur Parænesis seu Exhortatio ad pœnitentiam: post maturam deliberationem conclusum fuit, quòd eadem Facultas consentiebat, quòd supradictus liber imprimere-  
tur, impressusque venditioni exponeretur.

I. Tauuel.

---

Hæc pia Parænesis, & pœnitentibus & confessoribus utilissima est, & in ea quod sanctæ Cathol. Eccles. Romanæ religioni contrarium est, continetur nihil: proinde eam ad publicum usum imprimendam, & legendam esse censemus. Datum Antuerpiæ die 28. Iunii anno 1575.

*Henricus Zebertus Dungeus,  
S.Th. D. Cath. Eccl. B.V. Mariæ Antwerp. Cam.*



*Libri totius Methodus.*

**V**T facilius perspicias, Pie Lector, huius Auctoris institutum, libri totius ordinem, & quæ sint multorum verè pœnitentium impedimenta, aduerte sequentia puncta.

1. Primò, differt Pœnitentiam vsque in senectutem.
2. Secundò, non vult alienum restituere.
3. Tertiò, non vult inimico parcere.
4. Quartò, non vult quædam peccata occulta Sacerdoti confiteri.
5. Quintò, dicit se à Deo induratum, nec posse à malo declinare, & facere bonum.
6. Sextò desperat se posse à Deo misericordiam consequi.
7. Postremò, erigitur tandem in spem veniæ ex consideratione bonitatis, & infinitæ misericordiæ Dei, qui ex toto corde ad se conuerso gratiam ac veniam peccatorum nulli denegat.

Hunc emat, legat, ac relegat Pastor, Ecclesiastes, Ludimagister, & quilibet homo Christianus, qui vel populum docet, vel veniam quærit expeditam, qua se, vel alium ad veram adducat pœnitentiam.





*Beneuolo & Christianæ pietatis studioso*  
LECTORI.

**F**Ateor hoc equidem, candide & beneuole Lector, exstare passim multorum de Pœnitentia conscriptos Libros, qui vniuersam eius rationem ac modum luculenter & doctè explicarunt: sed tamen constanter hoc affirmare non dubitauerim, vix quemquam eorum, qui hoc argumentum tractandum susceperunt, inueniri; qui Lectoris mentem & affectum (quod hic in primis est necessarium) sic moueat, mutet, & accendat ad salutarem agendam Pœnitentiam, atque hic vnus Claudius Viexmontius, qui intimos cordis recessus sic penetrat, terret, ac pungit, dum mortis, iudicii, & inferni vehementissimum horrorem menti ingerit, vt animus hinc magno percussus metu, ad veram compunctionem, haud mediocriter commoueatur, sine quo, labor omnis in hoc argumento inanis est, ac prorsus inutilis.

Possẽm equidem amplissimas & quam plurimas istius libelli laudes hoc loco referre, sed quid ego tentem, vel littoris arenas vel cæli stellas, (vt habent prouerbia) enumerare? cùm sciam me nullis vnquam verbis quantumuis multis aut magnificis assecuturum, quin si librum accuratius euoluas, fatearis statim me longo etiam interuallo infra promeritas ipsius laudes constitisse.

Hanc igitur laudandi prouinciam cedam aliis, & te sedulo potius, Christianæ Lector, in primis verò, qui aliquot docendi munia subiisti, & moneo & hortor, vt hunc librum tam vtilem & necessarium ad animæ salutem consequendam, non  
mo-



modo legas, semelque ac iterum duntaxat relegas, sed eum manibus tantisper voluas, ac teras, donec vniuersam eius doctrinam altius iam menti tuæ infixeris, & hinc vberrimos pietatis fructus, cum ardenti salutis tuæ desiderio, hausisse te intus senseris.

Atque vt huiusmodi salutare fructus iam se latius diffundant, & ad plures promanent, hunc tu, Ecclesiæ Christi fidelis Pastor, & verbi diuini Præco sacra Quadragesimæ aut Aduentûs tempore, pro concione rectè & vtiliter populo enarraueris, eundemque hac doctrina quasi tuba aut classico quodam ad veram peccatorum suorum pœnitentiam reduxeris.

Adhæc tu, Ludimagister & quiuis puerilis ætatis institutor, cum ingenti pietatis fructu hunc discipulis tuis & exposueris, & sedulo legendum iisdem commendaris, atque vt vsu multo, paulatim huius doctrinam imbibant, hinc ipsis vel Carminis vel Epistolæ materiam dictaueris, aut etiam declamationis argumentum depromendum ostenderis.

Hunc vos quoque quotidie legite & relegite, qui in Monasteriorum castris Christianæ militiæ vos dedicastis, aut in Theologorum scholis adhuc defudatis, denique qui in priuatis musæis vestris abdito delitescitis, vt istinc suo tempore ad gubernandas ecclesias vel ad alias id genus functiones istinc euocati, semper ad manum habeatis huius libri doctrinam, quasi præsentissimum pharmacon sauciatorum curandis vulneribus, aut ægrotantium morbis cum primis conueniens.

Postremo hunc omnes seu homines laici, seu Mystæ sacrati & cuiuscunque conditionis, ætatis aut sexus fueritis, semper in manibus circum-



ferte, vt vtilissima huius institutione animum in salutari proposito diu conseruetis, aut vos ipsos, vel alios à recto salutis tramite nonnihil fortè digressos ab errore in viam reuocetis.

Cùm igitur amplissimi vberrimique fructus ex hoc libro ad te, Lector, perueniant, est certè, cur Manibus auctoris, (quem è viuis decessisse pridem suspicor) gratus sis, & æternæ felicitatis mercedem pro tanto thesauro tibi relicto preceris & optes.

Tum etiam ingentes oportet agas gratias duobus Præclarissimis Ecclesiarum Flandriæ quasi Corypheis, in primis præstantissimo eruditione, pietate, & eloquentia Theologo & Reuerendissimo Iprensis Ecclesiæ primo, atque omni laude dignissimo antistiti D. Martino Rithouio.

Deinde eruditissimo iuxta ac humanissimo viro & singulari doctorum hominum Mecænati R. D. Ioanni Loæo Euerfamenfis Canonorum Collegii vigilantissimo Præposito, quibustertiam hanc editionem acceptam referre debes, quod eorum scilicet commendatione, cura & opera, hic liber quadraginta plus minus annis à prima sui editione delitescens, è tenebris in lucem, quasi ab interitu ad vitam reductus sit, & ab hominum obliuione vindicatus.

Quæ res vel sola tantæ commendationis loco fuerit, vt fortassis grauius alicui peccare viderer, si commendationem hanc nostram longius produxero: quapropter te, beneuole & pietatis studiosè Lector, longum ac feliciter valere vehementer opto. Mechliniæ, 1575. 17. Kal. Septemb.

*S. Verrepæus.*

EPI.





EPISTOLA AVCTORIS AD  
LECTOREM.

**P**Lagii arguendus essem, Lector optime, nec id iniuria: si hanc Parænesim seu institutionem, vel Exhortationem ad Pœnitentiam, ex sacrorum Scriptorum floribus, in vnum hunc velut fascieulum, congestam, auctoribus suis acceptam non referrem. Igitur, vt quod res est, ingenuè fatear, quia infantia meæ conscius, verborum & sententiarum inopem me agnoscebam, nec ex meo sterili fundo flores, racemos aut spicas demetere posse, proximè exacto biennio sacris libris, quos huic destinato institutóque operi rebar accomodos, euoluendis: operã dedi, et flosculos mihi selegi quasi quasdam racemationes et spicilegia. Ex quibus aut integris, aut etiam imutatis, & pro re nata compositiùs digestis, hos fauos confeci, supressisque auctorum nominibus aureas ipsorum contextu sententias, vt orationis nostræ filum leniùs deducerem, crebráque allegatione te inter legendum nullo modo remorarer. Quod si Hagiographi illi sua quæque à nobis repeterent, velut Aesopica illa cornicula plumis detractis, nudus remaneam & ridiculus. Quoniam autem illorum sententiis vsi sumus, eorundem patiter stilo minimè fucato aut phalerato, sed humili & primo quoque obtutu intelligibili vtendum nobis fuit, sacrarum Scripturarum exemplo: quarum veritas verborum lænocinio aut lautioris eloquentiæ fucò non indiget, cum suo ipsius splendore præclara sit & illustris, mentemque non aurem pascere debeat: indignumque



fit verba illa cælestis oraculi, restringi sub regulis Donati. Hagiographorum siquidem simplex, rudisque sermo vsque ad cor penetrat, politus autem pascit aures. Sed quid prodest clavis aurea, si aperire non potest quod volumus? aut quid obest ferrea, si hoc potest? quando nihil aliud petimus, quàm vt id pateat, quod clausum est? Quid prodesset Paræneticam seu exhortatoriam Epistolam hanc ad quemlibet scripsisse, nisi etiam contingat, quemlibet hæc mea scripta intelligere? Quamuis enim (ad quendam peccatorem,) inscribatur, nunquam tamen nobis in animo fuit vllum quempiam peculiariter suggillare: sed iuxta septem illa argumenta, quæ vnum eundemque hominem à poenitentia sæpenumerò arcere solent, Parænesim nostram in septem partes duximus diuidendam:

Nam differre vetat metancæam, prima libelli

Pars: sua restitui cuique, secunda iubet.

Tertia dandam hosti veniam: peccata fatendum

Esse Sacerdoti singula, quarta probat.

Quinta docet vitam in melius mutare: facit spem

Cætera pars homini, quem sua culpa premit.

Vbique autem quascunque comminisci potui obstinati peccatoris tergiuersationes, pro ingenioli nostri captu vtcumque diluimus, eum fratris nomine compellantes. Si enim à protoplastis Adam & Eua, primam nostram repetamus originem: iam agnoscemus nos omnes naturales esse fratres. Si etiam ex Christo nostro omnium Patre & Creatore, castissimâque eius sponsa Ecclesia, communi nostrum omnium orthodoxorum matre, spiritualem nostram attendamus regenerationem: iam cognoscemus nos omnes fratres esse spirituales

in



in Christi visceribus, seu communione vniuersalis Ecclesiæ; cuius membra sumus, & Christus caput.

Quisquis es igitur, qui pœnitentiam exofus in peccatis tuis persistis, qualemcunque hanc Parænesim tibi nuncupo. In qua siquid fortè minùs elaboratum offenderis, præmaturæ & præcoci eius editioni ascribas, rogo. Nam cùm ex consilio Horatii, qui in Arte Poëtica suadet, ne præcipitetur editio, nonúmque prematur in annum: opusculo nostro, quod nondum satis maturuisse opinabar, otium dare debuisssem, vt refrigerato eius amore, accuratius repetitum tanquam lector perpenderem: & more atque ritu vsino ingenioli nostri fœtum rudi adhuc & imperfecta facie informem & ineffigiatum, lambendo tractandóque formarem atque effingerem, eiúque oris & vultus lineamenta redderem. Tamen facturum me operæ pretium arbitratus sum: si hoc, quicquid est opusculi, flagrantissimo zelo cùm ad peccatricis animæ salutem, tum ad Dei omnipotentis gloriam à me conscriptum, ante tempus ederem, emitterémque: si modò interim vel vnicam animam à iustitiæ orbita aberrantem in viam reduceret, Christóque lucrifaceret: quod eiusdem auspiciis successurum ipse mihi pollicebar. Bene vale: & lucubrationibus nostris, si dignas putabis, perpetuò fruire. Parisiis in Nauarrano nostro Gymnasio, sexto idus Septembris, anno supra sesquimillesimum, trigesimo tertio.



PROLOGVS.

*Claudius Viexmontius Parisiensis, dilecto in Christi  
visceribus fratri, salutem in Domino.*

**S**olent plerique hominum, frater in Christo charissime, amore vsque adeo præpostero amicos suos diligere, vt si morbus aut alia quæuis aduersitas eorum corpori obtigerit, tristentur, lugeant, & impatientius ferant: vicissim si eos in omne flagitii genus diffluere conspexerint animæque internecone deperire, nihil minus curant, parui pendunt, imò etiam interim applaudunt: duntaxat si illis ad corradendas opes capeffendosque Magistratus, technis & scelere accessus patuerit. In quo sanè corporum amicos præ se ferunt, non animarum: desiderant enim eos corpore valere in hoc sæculo, nec curant, quid eorum animæ passuræ sint in altero. Non sic ego, frater charissime, non sic: vtinam atque vtinam castigans castigaret te Dominus, & æternæ morti non traderet te, ut saltem temporali tribulatione compulsus ad Deum confugeres, sicut & filius ille prodigus inopia inediaque coactus, ad patrem reuersus est, & pueruli liberiùs discurrentes, matrem eos blanditiis reuocantem contemnunt, qui à quopiam offensi aut perterriti ad maternum gremium tremebundi contendunt: multi etiam per torturas & quæstiones crimen suum agnoscunt, quod priùs nullis pollicitationibus agnoscere voluerunt. O vtinam etiam cum corporis tui damno, si necesse sit, animæ tuæ consuleretur: te procul dubio non deslerem, non mœrerem, imò tibi summopere congratulandum ducerem. Etenim putasne, quod tibi adulari velim, aut te in peccatis tuis fouere? Rarus est, qui non appetat laudem, rarior qui recuset oblatam, rarissimus,



simus, qui patienter suam ab alio audiat accusatio-  
nem: nihilominus tamen, vt mundæ sint hodie ma-  
nus meæ à sanguine tuo, non subterfugiam, quo  
minùs omne Dei consilium tibi annunciem. Ve-  
lis, nolis, verbum veritatis, quod Deus in ore meo  
posuit, loquar: clamabo tibi, nec cessabo, & sicut tu-  
ba vocem meam exaltabo, ne si tibi non annuncia-  
uero, vt à via tua impia auertatis, sicque in iniqui-  
tate tua moriaris, animam tuam de manu mea Do-  
minus requirat: sin annunciauero, vtcunque res  
cadat, animam meam liberauero.

Nec ob id me iudices inimicum, quòd tibi pa-  
tefaciam crimen tuum, magis tibi inimicus essem,  
si te, quem increpando possum liberare, tacendo  
permitterem perire. Si enim vulnus haberes in cor-  
pore, quod occultare velles, nolens illud secari,  
nónne crudeliter à me tegetur, ac misericorditer  
detegeretur? quantò ergo magis crimen tuum de-  
tegere debeo, ne deterius putrescat in pectore tuo?  
Molestus est Medicus ægroto, quem secat, & pater  
filio, quem castigat, inuitis tamen bona præstant:  
dum eorum potius consulunt vtilitati, quàm infer-  
uiunt voluntati. Quod si eos negligenter, & per-  
ire permitterent, falsa illa pietas vocanda esset  
impietas: sicut enim aliqua est misericordia pu-  
niens, ita aliqua est crudelitas parcens.

Itaque, frater charissime, vt aut mea exhor-  
tatione salueris, aut saltem meo perfunctus officio  
reus non sim tuæ damnationis: sex rationibus, qui-  
bus à pœnitentia auocaris, gratia Dei cœptis no-  
stris aspirante, satisfaciam. Ad quod me fore ido-  
neum despero, nisi Deus, qui dedit hoc velle,  
etiam det idem perficere. Qua mea desperatione  
robustior fio, dum viribus meis diffidens ad il-  
lum

lum



lum spem meam erigo, qui linguas infantium facit disertas, & qui mutorum aperit linguas: qui veritatem suam dum voluerit, etiam per ora iumentorum patefacit: qui asinæ Balaam ruditus informes & indistrictos, per articulos humani colloquii distinxit modos: qui stulta mundi elegit, ut confunderet sapientes: qui que dixit, *Aperi os tuum, & implebo illud: ipse mihi spem facit, eius adiutorio id fore in perfectione, quod eo inspirante in nostra prius fuit voluntate.* Qui ut labia mea aperiat, seu potius meam scribentis mentem instituat, manumque dirigat: ut etiam meam ad te *Paræneticam seu exhortatoriam epistolam menti tuæ penitus infundat, priusquam accingamur, ego quidem ad scribendum, tu verò ad scripta mea legendum, deuotè & suppliciter eum inuocemus, dicentes:*

**V**eni creator Spiritus,  
Mentes tuorum visita;  
Imple superna gratia,  
Quæ tu creasti pectora.  
Qui paraclerus diceris,  
Donum Dei altissimi,  
Fons viuus, ignis, charitas,  
Et spiritalis vnctio.  
Tu septiformis munere,  
Dextræ Dei tu digitus;  
Tu ritè promissum patris,  
Sermone ditans guttura.  
Accende lumen sensibus,  
Infunde amorem cordibus,  
Infirma nostri corporis  
Virtute firmans perpeti.  
Hostem repellas longius:  
Pacemque dones protinus  
Ductore sic te præuio,  
Vitemus omne noxium.

Per



Per te sciamus (da) patrem :  
 Noscamus atque filium :  
 Te vtriusque spiritum  
 Credamus omni tempore.  
 Sit laus Patri cum Filio,  
 Sancto simul Paraclito ;  
 Nobisque mittat Filius  
 Charisma Sancti Spiritus.

### SVMMA TRIVM PARTIVM POENITENTIAE.

Quoniam tota hæc est, instituti operis ratio, peccatorem  
 exhortari ad pœnitentiam : ided priusquam ad rem ve-  
 niamus, de pœnitentia & partibus eius paucis dicamus.

**P**OE<sup>N</sup>ITENTIA tribus partibus constat : Cordis contri-  
 tione, Oris confessione, & Operis satisfactione.

**CONTRITIO** est cordis amaritudo ratione peccati  
 commissi, cum odio cuiuslibet peccati supra omne odibile,  
 & proposito vitandi quodlibet peccatum supra omne vitabi-  
 le; nec non confitendi peccatum suum cognitum, & pro  
 eo satisfaciendi tempore & loco.

Ad contritionem sex sunt necessaria :

Peccati, cuius venit in memoriam, actuale odium supra  
 omne odibile, & omnis alterius peccati in generali.

Propositum, illud vitandi supra omne vitabile, & omne  
 aliud in generali.

Propositum, illud confitendi Sacerdoti, tempore & loco.

Propositum peragendi pœnitentiam à Sacerdote pro illo  
 peccato iniunctam.

Voluntas efficax restituendi alienum.

Ob acceptam iniuriam inimico suo parcere.

**CONFESSIO**, est legitima coram Sacerdote peccatorum  
 declaratio, cum legitima Sacerdotis absolutione eorundem.

Bonæ confessioni duodecim necessaria sunt.

1. Voluntariè enim, & non coactè est confitendum
2. Quæ ad confessionem spectant, diligenter exequendum.
3. Quid & quo modo confitebitur, præmeditandum.
4. Nullum peccatum mortale consultò reticendum.
5. In se, non in alium culpam omnem retorquendum.
6. Sua, non aliorum peccata confitendum.
7. Cum displicentia & contritione declarandum.
8. Etiam cum pudore & verecundia.



9. De peccatorum venia non desperandum.
10. Coram Sacerdote se humiliandum.
11. Falsò se nec laudandum, nec vituperandum.
12. Circumstantias aggrauantes apertè explicandum.

SATISFACTIO, est pro Dei offensa debitæ pœnæ voluntaria perpessio.

Opera Deo satisfactoria sunt.

Oratio, id est, omne opus interius & exterius ad Dei cultum pertinens, vt sunt sancti affectus, & omnes gestus corporis, quibus Deo seruiamus.

Eleemosyna, id est, omnia opera misericordiæ, & spiritualia & corporalia.

Ieiunium, id est, quælibet corporis afflictio & tribulatio pro Deo voluntariè perpessa.

His tribus partibus, scilicet Contritione, Confessione, & Satisfactione, constat Pœnitentia, ad quam peccatorem inducendum suscepimus.

## INDEX CAPITVM.

*Institutionis Paræneticæ ad Pœnitentiam Prologus.*

PRIMA PARS, DE POENITENTIA CITO AGENDA.

*Caput I.*

Quòd instabilis est hominis vita, ideòque differri non debet pœnitentia. Pag. 1

*Cap. II.*

Quàm periculosum sit conuersionem ad Deum differre vsque in mortis articulum. 7

*Cap. III.*

Quòd latet vltimus dies, vt velut vltimus obseruentur omnes. 12

*Cap. IV.*

Quanta præsentium voluptatum est inæqualitas, ad æternas inferni pœnas. 19

*Cap. V.*

Quòd præstat iam à iuuentute pœnitentiam agere, quàm eam in senectutem vsque prorogare. 24

*Cap. VI.*

Quòd præstat in mundo pœnitentiam agere, quàm in purgatorio pro peccatis satisfacere. 30

*Cap. VII.*

Quòd nemo simul potest & pœnitentiam agere, & voluptatibus suis inservire. 35

Primæ partis conclusio. 39

SE-



SECUNDA PARS DE RESTITVTIONE FACIENDA.

*Cap. I.*

Quòd non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. 42

*Cap. II.*

Quòd is apud homines timere non debet confusionem, qui apud Deum vult innenire gratiam. 48

*Cap. III.*

Quòd Dei gratia temporalibus bonis est præferenda. 54

*Cap. IV.*

Quòd Deo non placeat elemosyna de rapinis, à raptore exhibita. 61

Secundæ partis conclusio. 64

TERTIA PARS, DE VENIA INIMICIS DANDA.

*Cap. I.*

Quòd Deus non dimittit nobis debita nostra, nisi prius dimittamus debitoribus nostris. 67

*Cap. II.*

Quòd nullum boni operis fructum facere quis potest, quamdiu à proximo per iracundiam discors est. 72

*Cap. III.*

Quòd non licet percusso repercutere percussorem. 75

*Cap. IV.*

Quòd exemplo Christi durum esse non debeat, proximo parcere quoties peccat. 82

Tertiæ partis conclusio. 86

QVARTA PARS, DE PECCATIS SACERDOTI CONFITENDIS.

*Cap. I.*

Quòd peccatum dimittitur, si quis contrito corde id confiteatur. 88

*Cap. II.*

Quòd is non potest iustificari, qui non vult peccatum suum confiteri Sacerdoti. 93

*Cap. III.*

Quòd peccator non debet vereri, peccata sua confiteri Sacerdoti. 101

*Cap. IV.*

Quòd Deo nihil est occultum; & in finali iudicio reuelabit abscondita cordium. 105

Quartæ partis conclusio. 112

QVIN-



QVINTA PARS DE VITA IN MELIVS COMMVTANDA.

Cap. I.

Quòd nulla passione Deus afficitur, nec priùs peccatorem deserit, quàm ab eo deseratur. Pag. 115

Cap. II.

Quòd modò de peccato in peccatum peccator delabitur, & in peccatis suis obduratur. 129

Cap. III.

Quòd nullus est tam magnus peccator, quin conuerrere eum possit omnium Creator. 138

Cap. IV.

Quòd voluntatis maior est potentia in bonum, quàm inueteratæ consuetudinis inclinatio in malum. 145

Cap. V.

Quòd fidelis est Dominus, qui non patitur nos tentari ultrà quàm possumus. 152

Cap. VI.

Quòd timor recidendi impedire non debet resurrectionem lapsi. 160

Cap. VII.

In mortis articulo, quàm miseranda sit peccatoris desperatio. 168

Cap. VIII.

De pœnis inferni. 182

Quintæ partis conclusio. 197

SEXTA PARS DE PECCATORVM VENIA NON DESPERANDA.

Cap. I.

Quòd omnes peccatores sumus, & Dei misericordia indigemus. 200

Cap. II.

Quòd nullum est peccatum tam graue, quin per veram pœnitentiam sit remissibile. 205

Cap. III.

Exempla eorum, qui grauissimè peccauerunt, & postea per pœnitentiam saluti facti sunt. 210

Cap. IV.

Quòd conuerso Dominus non negat veniam, qui etiam auersum inuitat ad conuersionem. 217

Cap. V.

Quòd mutato peccatore Deus mutat sententiam, quia eius vitam maualt quàm mortem. 223

Cap. VI.

Quòd etiam in articulo mortis pœnitentia esse potest salutaris. 230

Cap. VII.

Quòd, quamdiu sumus in hac vita, securi esse non debemus de venia. 236

Cap. VIII.

De gaudijs Paradisi. 239

Sextæ partis conclusio. 259

Paratenseos ad pœnitentiam conclusio. 262

✻) ○ (✻

INSTI-





# INSTITVTIONIS PARAENETICAE

AD

## POENITENTIAM

PRIMA PARS,

DE

POENITENTIA CITO AGENDA.

QVOD INSTABILIS EST HOMINIS  
VITA, IDEOQVE DIFFERRI NON DE-  
BET POENITENTIA.

### CAPVT PRIMVM.



Rimo dicis, frater charissime, Quid pec-  
cator obii-  
cere solet.  
te iam expertis voluptatibus  
adhuc carere non posse: &

quod forsitan in senectute tua  
voluptatum tentationibus am-  
plius non consentiens, pœni-

rentiam ages. Mortis ne-  
cessitas.  
Hebr. 9.  
R. Quis est homo, frater cha-  
rissime, qui viuet, nec videbit mortem? sta-  
tutum est omnibus semel mori: à qua ge-  
nerali sententia nemo excipitur, vt in super-  
biam nemo extollatur. Debemur  
morti nos  
nostraque.  
Quod si ita est, ex-  
te sciscitari velim, quanto tempore tibi per-  
manere posse putas transeuntis huius vitæ

A

deli-



delicias? Ut ego quidem reor, ne quinquaginta quidem anni tibi superesse possunt usque ad extremam, quamvis longissimam, senectutem: sed & in hoc tempore, vide quanta tibi possunt imminere. Imprimis nemo est, quantumlibet iuuenis, qui se vsque ad vesperam victurum certò sibi ausit polliceri: mors etenim senibus est in valuis, iuuenibus verò in insidiis: illis à fronte, his à tergo, morte nihil tibi est certius: hora autem mortis, loco, & modo, nihil incertius. Nec mirum, si vitæ tuæ nescis terminum, qui nec ipsius comprehendere potes initium: qui ignoras, quo initio in mundum veneris, nescis etiam quo fine inde subtraheris. Temerariè igitur tibi senectutis tempora promittis, qui nullum vitæ tuæ diem in potestate tua habere possis: quid cogitas te diu victurum, cum nullum diem habeas securum? tu tamen ita cupidè ac malè vivis, ac si esses immortalis.

Quotidiana mors multorum. A Domino vocantur boni simul ac mali. Tertia pars hominum ante quinquagesimum annum moriur. Iob. 21.

Quotidie multos vides prosperrimæ valetudinis, subitanea & improuisa morte etiam in mediis opprimi deliciis: idque adeò, vt de iis qui quotidie nascuntur, tertia ferè pars ante quinquagesimum annum moriatur. Vocantur à domino boni, ne diutius, vexentur à noxiis: mali vero & impii tolluntur, ne diutius bonos persequantur. Dic mihi, ubi sunt huius sæculi amatores, qui tecum erant ante paucos dies? in bonis dies suos duxerunt, & in puncto ad inferna descenderunt: hic ex eis nihil remansit, nisi cinis & vermis, & fætor intolerabilis. O quanta & qualia de præsentis

tis



tis vitæ prouisione cogitabant? quàm longa vitæ tempora sibi promittebant? sed ex improviso interueniente mortis articulo, repente in iis quæ præuidere nolebant inuenti sunt: qui mortem ipsam cum venit vicissent, si priusquam venisset eam semper timuissent. Nonne sicut & illos subitanea febricula, vel casu subito mors superueniens, te opprimere potest improvisum, sic tibi periret dilatio & te sequeretur æterna damnatio.

Auicula sedens in arbore, quocunque libet se credit posse euolare: tamen priusquam inde euolauerit, eam plarunque sagittæ ictus prosternit. Sic & tu longa vitæ tempora tibi promittis, & mirabilia facere disponis: & tamen nescis, an viues toto hoc die, an subitanea mors præueniet te, si hodie qualis es nescis, cras qualis futurus es nescis, cras est dies incertus, & qui scis an crastinum habebis? si hodie, non es paratus, quomodo cras eris? qui non est hodie, cras minus aptus erit. Forsitan diem hodiernum, Deus vitæ tuæ constituit terminum: qui certè præteriri non potest, quod si ita est, quo modo securus es? quo modo non disponis domui tuæ, quia morieris tu, & non viues? Nonne vides vitæ tuæ præteritæ inutilitatem, bonorum omnium vacuitatem, temporum amissorum preciositatem, operum commissorum prauitatem, denique totam ferè præteritam ætatem tuam: annorum, dierum, & singulorum pœnè momentorum tibi oppositam, & in omne peccatum impensam? Si in horam ad Deum conuerti distuleris, forsan æ-

Vbi sunt jam delicias quondam dediti tecum?

De Auicula in arbore comparatio.

Crastinus dies incertus.

4. Reg. 10.

Amisio temporis.



Iudicium  
Dei particu-  
lare.

terna damnatione mulctaberis, comparendum enim tibi est ante tribunal Dei, ante conspectum iudicis districtissimi: quem toties offendisti, & cum impiis Iudæis sæpius crucifixisti: dum peccata, quæ eum ad crucem adegerunt, sæpius iterasti, subterfugere non potes, ad terribile Dei iudicium te sistes, idque forsan hoc ipso die: vbi de omnibus hic per te operatis rationem reddes. Quid dices, aut quid facies, dum nil boni perferes ante tantum iudicem? O quàm metuendus tibi est iudex iste: cuius præsentia est impræuisibilis, potentia infallibilis, iustitia inflexibilis, & iracundia implacabilis?

Iudex me-  
tuendus.

Iudicium  
humanum.  
Similitudo.

Cogita, quo modo timeres, si pro certo aliquis tibi annunciaret, quòd magnus quispiam iudex te viuum exurere vellet? his auditis si tibi liberum esset unius diei spatium, nihil relinqueres intentatum: omnes iudicis amicos ambires, quorum intercessione euadere sperares: omnem denique moueres lapidem, vt districtam illam euaderes sententiam: tantum tibi sufficeret viuere, tametsi pro salute tua omnia deberes expendere. Tecum etiam sollicita mente volutares, quid tibi posset obiici, & quid obiectionibus illis responderes, ne forte iudici quoquo modo noxius appareres. Sed quare hæc faceres? quia certe ibi non dubitares, hic autem dubitas? ô miser & præposteræ fidei homuncio, homini plus credis quàm Deo, qui creator est hominis? pœnam perpetuam minatur Deus, & negligis: pœnam temporalem minatur iudex terrenus,

Iudicii di-  
uini & hu-  
mani timor  
præposterus.

&



& contremiscis? sed quis, aut quid ipse est? nimirum mox futurus post hominem vermis, post vermem fœtor & horror. Nunc autem dum non coram homine, sed coram tuo comparendum est creatore: & de animæ tuæ æterna damnatione sententiam es auditurus, quo modo esse potes securus? quo modo adhuc voluptatibus tuis indulges, nec immutabilem districti iudicis sententiam times? Si confunderis & erubescis ad iudicium hominis & pulveris, quid facturus es ad iudicium Conditoris? Humani iudicii sententia reuocari potest, hæc verò irreuocabilis est, districto illi iudici recogitabis omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ: ob plurima eaque grauissima tua in eum peccata, dæmonibus tradet te rapiendum ad inferni supplicia. Quis postea te iis auferet? quis te liberabit à descendantibus in lacum? certè in inferno nulla est redemptio.

Irreuocabilis sententia Dei.  
Esa. 38.

At dixeris, Benignus est & misericors Dominus: qui per prophetam suum promisit dicens, Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. R. Verum quidem hoc esse fateor, frater charissime, quòd etiam benignior & misericordior est Dominus Deus quàm creditur: & quòd unicuique parcit ad se in tempore opportuno redeanti: sed qui pœnitenti tantam veniam sponndit, peccanti crastinum non promisit. Nonne ergate satis benignus & misericors fuit, qui tantas iniurias, tanto tempore, tam patienter abs te tolerauit, & solita sua clementia pœnitendi tibi spatium indulsit? Magna omni-

Ezech. 33.  
Misericordia Dei quanta.  
Misericordia Dei erga peccatorem.  
Augustinus lib. 2. de symbolo.  
Iudex ille nec gratia, præuenitur, nec pœcunia flectatur, nec pe-



cunia cor-  
rumperur,  
nec satisfac-  
tione, vel  
pecunia mi-  
tigabitur.  
Tardat Deus  
ferire.  
Esa. 14.

Deus gra-  
uiter punit  
non reuer-  
tentem.

Notandum.  
In toleran-  
dis malis  
hominibus  
summa Dei  
prædicatur  
patientia,  
quod tardus  
procedit ad  
supplicium.  
Rom. 2.  
Animam  
exponere  
periculo.  
Qui tibi ad  
se conuerso  
promittit  
regnum,  
idem tibi  
obstinato  
minatur  
pœnam.

no erga te est Dei misericordia, ad pœnitentiam expectatio, nam peccantem angelum omnino non expectauit: sed in momento, in nictu oculi è cælo præcipitauit. Adam quoque peccantem non distulit, sed protinus è paradiso voluptatis expulit. Te verò multos annos expectauit, dissimulauit, sustinuit, tradauit ferire, paratus ignoscere, sed hoc noueris, quòd sicut benignus est in tolerando, ita iustus est in puniendo: & quem ut conuertatur expectat, non conuersum duriùs damnat. Diuina seueritas eò acriùs punit, quò diutius peccantem pertulit, tantò sequitur districtior sententia, quanto peccanti maior est prorogata patientia: & plarumque iusto Dei iudicio moriens obliuiscitur sui, qui dum uiueret oblitus fuerat Dei, qualis autem ad conspectum districti iudicis peruenit, cui non vacat deslere quod fecit?

Itaque frater charissime periculosum tibi est pro agenda pœnitentia, mortis expectare tempora: & te posse quidem mori in peccato existimare, tamen à peccato non cessare: & in eo statu esse, in quo si te, vt sæpe accidit, subitanea mors opprimeret, anima tua in æternum periret: & pro tantillo tempore, quod ad uiuendum tibi datum est, vnicam animam tuam, quæ charior tibi esse debet toto mundo, æternæ damnationis frustra exponere periculo.

QVAM



QVAM PERICVLOSVM SIT, CON-  
VERSIONEM AD DEVM DIFFER-  
RE VSQVE IN MORTIS AR-  
TICVLVM.

CAP. II.

**V**erum esto, frater charissime, vt Difficile est  
Dei tuique in morte memor futu- verè conteli  
rus sis, & tunc concedat tibi Domi- in morte.  
nus ad pœnitendum aliquid temporis. Vix Chrysoft.  
tamen poteris tam breui temporis momen- Non illos  
to, tam breui & momentanea contritione, qui necessa-  
omnia longæ vitæ peccata sufficienter plange- rio, sed qui  
re: vix fieri poterit, vt qui tota antea acta vita sponte sua,  
in malis fueris assuetus, repente & in instanti vitiis absti-  
fias summus: vt tam repente diaboli te nent, Deus  
explices laqueis, quibus tota superiori vita coronat.  
ipsum implicueris: vt tum demum à diabolo  
deficias, & Christo militare incipias, cum de  
prælio erit exeundum. Putasne, quòd arbor, Similitudo.  
quæ nunquam fuit viridis, nec floruit vn-  
quam, aut fructum produxit, tunc virere, flo-  
rere, & fructum producere incipiat, quando  
exciditur, vt in ignem mittatur? sic fieri vix  
potest, ut qui in hac terra nullum boni ope-  
ris fructum produxit, tum demum dignos  
fructus pœnitentiæ producere incipiat, dum  
mors properat: dum securis ad arborem posi-  
ta est, vt de terra viuentium excidatur, & in  
gehennæ ignem inextinguibilem mittatur. Sed  
quàm periculosum sit & interitui vicinum,  
ad mortem vsque protrahere pœnitentiæ re-



Augustini  
dicum de  
pœnitentia  
distinct. 7:

medium, Augustinum audi: Si quis (inquit) positus in vltima necessitate suæ ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quòd bene hinc exit: si securus hinc exierit, ego nescio: pœnitentiam dare possumus, securitatem autem dare non possumus. Nunquid dico, damnabitur? sed non dico, liberabitur. Vis ergo à dubio liberari, vis, quod est incertum, euadere: age pœnitentiam, dum sanus es: si sic agis, dico tibi, quòd securus es: quia pœnitentiam egisti, eo tempore, quo peccare potuisti, si autem vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes: peccata te dimiserunt, non tu illa; hætenus Augustinus.

Finalis pœnitentia videtur fieri ex timore. Quidam videtur pœnitere non ex charitate Dei, sed tantum ex timore inferni. Seneca. Plerique metu peccare cessant, non innocentia, profecto tales timidi, non innocentes dicendi sunt.

Non expectes igitur, frater charissime, quoad vsque non possis peccare: Deus enim vt peccata remittat, humani arbitrii quærit libertatem, non necessitatem: charitatem sine qua nemo saluus erit, non tantum timorem. Non ex charitate Dei, sed tantum timore inferni, videntur pœnitere: qui in fine ad Deum conuertuntur, ex necessitate tum demum ad Deum confugiunt, cum in mundo, cui tota vita sua seruiuerunt, amplius remanere nequeunt: in quo si diutius se mansuros scirent, nondum ejus delicias relinquere vellent: quas tunc volunt relinquere, cum eas nequeunt amplius retinere. Priusquam peccata relinquunt, à peccatis relinquuntur, quibus non voluntas, sed finem imponit necessitas. In tota sacra Scriptura non inuenitur nisi unus, scili-



scilicet bonus latro, qui in fine verè pœnitue-  
 rit. Ille, vt nullus desperet: solus, vt nullus  
 præsumat. Qui licet de omni suo crimine  
 veniam meruerit in fine, dum in cruce Chri-  
 stum agnoscens, quodam-modo baptizatus est:  
 in qua baptismali innocentia decedens, purga-  
 torium non sensit. Non tamen Deus bap-  
 tizatis peccandi dedit authoritatem, & in pecca-  
 tis suis perseuerandi licentiam. Qui enim,  
 dum potuerunt, nunquam conuerti voluerunt:  
 conuersi dum iam peccare nequeunt, non tam  
 facilè acquirunt quod volunt.

Dysmās la-  
 tro verè  
 pœnituit,  
 Luc. 23.

Nota.

Multa etenim languentem impediunt, &  
 à iusta pœnitentia retrahunt. Imprimis ami-  
 corum carnalium præsentia, quos forsitan illi-  
 citè dilexerunt. Recordatio præteritarum vo-  
 luptatum & bonorum temporalium, quæ non  
 sine dolore relinquunt, & dolor inenarrabilis,  
 dum mors animam diuellere nititur à mole  
 corporis: idque adeò, vt homo vix possit aliud  
 cogitare, quàm dolorem, quo cruciatur in cor-  
 pore; ibi enim fertur tota intentio mentis, vbi  
 sentitur vis doloris. Quis tunc mentis pavor?  
 quanta peccatorum omnium memoria? quæ  
 obliuio transactæ voluptatis? quæ formido &  
 consideratio iudicis? Ex morbi dolore & iu-  
 diciorum Dei timore, aliquantulum impeditur  
 liber vsus voluntatis, adeò, vt tunc vix habe-  
 ri possit ad salutem sufficiens contritio cordis.

Impedi-  
 menta fina-  
 lis pœnitent-  
 iæ.

Tunc diabolus grauiores tentationes ho-  
 mini ingerit, dum finem eius appropinquare  
 prospicit: & dum animam habere debet aut  
 amittere, quam tot annos, tot technis, tot sug-

Diabolus  
 acerrimè  
 tentat in  
 morte.



gestionibus studuit acquirere, tunc hominem maximè de veritate fidei tentat, & ad infidelitatem sollicitat: ei ob mentis oculos proponit peccatorum omnium grauitatem, districtissimi iudicis in iudicando seueritatem, & bonorum operum ad comparationem æternæ beatitudinis inæqualitatem: sicque miserum peccatorem inducere tentat in desperationem, & quem viuentem blandiendo decepit, morientem sæviendo capit. Ea de causa viri perfecti, qui tota vita sua bene vixerunt, solum mortis articulum pertimescunt, ne tunc aut dæmonum insultibus succumbant, aut ante iudicem bonorum operum vacui appareant. Tu verò tunc temporis speras conuerti, quando perfectissimi quique timent peruertere? in id tempus salutis tuæ summam constituis, quando es grauioribus subiacebit periculis? & conuersionis tuæ opus arduum, quod viuus & valens vix longo tempore perageres, in tanto constitutus discrimine scilicet perficies?

Eccl. 5.

Aug. Ser.  
71. ad Fr.  
in Erem.

Non tardes, ait sapiens, conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Metuendum namque est, ne dum speras misericordiam, incidas in iudicium. Non enim tunc veniam inueniet, qui modo aptum pœnitentiæ tempus perdidit. Ibi à Deo non potest mereri quod petit, qui hic noluit, audire quod iussit.

Dæmonum  
in morte  
præsentia.

Egressum peccatricis animæ de suo corpore non vnus tantum, sed innumerabiles dæmonum legiones obsident. Qua egrediente sua

sua



sua opera requirunt, ejusque oculis præsentant mala quæ suaserunt, dehinc voti compotes eam secum ad inferni tormenta deuoluunt. Sed etiam ad electorum animas de corpore suo egredientes veniunt, & suum in illis, si præualent, aliquid requirunt. Si princeps mundi huius diabolus in Christo secundum carnem moriente, aliquid quæsiuit, in quo suum inuenire nihil potuit: perpende quàm rabidus, & quàm terribilis, sua in te opera requiret, quando morieris? Constat, nec potes negare, quin multa sua opera in te possit inuenire, ô miser & miserabilis homuncio, quid tunc ages, & aduersario tuo multa sua in te inuenienti quid dices? confidisne tunc prope affuturum ex angelis Dei quempiam, qui te excipiat exeuntem? qui te redimat & saluum faciat?

Ioan. 14.

Itaque, frater charissime, cum planè videas mortem omni loco & omni tempore tibi struere insidias, teque expectare & sequi tanquam umbra corpus, si sapis eam similiter omni loco & omni tempore expectabis: omni hora paratus, quasi eadem sine dubio esses moriturus.

Mors semper imminet.

Nescis, quo loco aut quo tempore tibi debeat occurrere, ideo in omni loco omnique tempore eam debes expectare? festinat ad te venire, tu vicissim festina bene viuere: & quasi bonæ fidei debitor, naturæ debitum si petatur, omni loco paratus sis reddere. Sic utiliter ordina omnem diem, quasi is expleat, & consummet tuam vitam. Dum diluculo surrexeris, ad vesperam ne confidas te victurum:

Mori semper paratus sis.

Vt bene moriamur, discamus bene viuere.

Nam si heri euasimus mortem, &amp; forsitan he-



die non e-  
uademus.  
Afferet v a  
dies, quod  
non anni  
tulere cen-  
tum, mors  
enim nos v-  
bique infe-  
quitur, non  
aliter quam  
umbra  
suum cor-  
pus.

Quomodo  
mors vin-  
citur.

Seneca.

Quomodo  
fabula,  
sic &

vita, non  
quamdiu,  
sed quam  
bene acta  
sit, refert.

Secura  
mens quasi  
iuge conui-  
uium.

Nulla vero  
gravior pœ-  
na quam  
mala con-  
scientia.  
Proverb. 15.  
Spiritualis  
consolatio.

Grauiſſima  
est pœna  
conſcientia  
mala.

& dum in lectulo membra ad somnum com-  
posueris, crastinam lucem ne confidas te vi-  
surum. Iam ex nunc taliter viue, vt in  
hora mortis potiùs gaudeas, quàm timeas: vt  
bene moriaris, disce bene viuere: & vt à ven-  
tura ira fugias, dignos fac fructus pœnitentia.  
Idem timor, qui inerit morienti, tibi as-  
siduè insit in corpore viuenti. Sic mors ipsa  
cùm venerit, vincetur, si priusquam venerit, à  
te semper timeatur.

QVOD LATET VLTIMVS DIES,  
VT VELVT VLTIMVS OBSERVEN-  
TVR OMNES.

CAP. III.

**A**T dixeris: Heus tu, mortem mihi quo-  
tidie imminere prædicis, suadésque, vt  
mortem omnibus horis impendentem  
paratus expectem. Eam equidem sæpius ex-  
pectaui, & sæpius ad mortem paratus fui, nec  
tamen, quamuis expectata, aduenit, sæpius spem  
meam fefellit. Quid? eóne me compelles mi-  
serum, vt mortem quotidie metuens, amit-  
tam gaudia vitæ? R. Imò frater charissime,  
audeo dicere, quòd non amittes gaudia vitæ:  
quia secura mens quasi iuge conuiuium & ma-  
ior tibi erit consolatio seruiendo Deo totius  
consolationis, quàm mundo repleto miseriis.  
Nulla est grauior pœna, quàm mala conscien-  
tia: in qua cùm Deus non habetur, consola-  
tio nulla inuenitur. O si vel levi quidem  
gustu spirituales prælibasses delectationem,  
præ



præ ea vilipenderes omnem aliam voluptatem, & curreres in vnguentorum illorum suauissimum odorem. Spiritualium virorum vides quidem cruces, sed eorum non vides vinctio- nes: eos exterius cernis abiectos, sed interius non discernis Deo plenos, delicata est spiritua- lis illa delectatio, nec omnino tibi tribuitur admittenti alienam. Iam, & mihi dicito, quòd ii dum Deo inculpate seruiunt, & mor- tem quotidie metuunt, amittunt gaudia vitæ?

Imò verò sit hoc sanè, idque pertinaciæ tuæ concedamus. Quid conquereris & apud te turbaris, quòd sæpius bene vixeris, & ad mor- tem paratus fueris, ea tamen quamuis expe- ctata non aduenerit? quòd nouissimorum tuo- rum memoria voluptates sæpius tibi abstule- rit, quæ homini vitiosissime sunt? O te foeli- cem, iterumque iterumque beatum: si quoti- die ad hunc modum mortem expectaveris: si quotidie talis fueris, qualis esse voles in articu- lo mortis: si ab adolescentia tua portaueris iugum domini: si semper vigilaueris, & su- per custodia tua steteris, quòd nescires, qua hora venturus esset dominus: beatus certè es, cum dominus venerit, te vigilantem inuenerit.

Voluit Deus mortis horam nos latere: vt dum incerti essemus, quando moreremur, semper ad mortem parati inueniremur: vt dum lateret vltimus dies, velut vltimus ob- seruarentur omnes. Velut si tibi plures pa- nes apponerentur, & in vno eorum venenum esse, tibi pro certo diceretur: nonne ab omni- bus his abstineres, ne forte veneno infectum

Cantic. 1.  
Spirituali-  
um virorum  
exterius tor-  
menta sunt,  
interius co-  
rum præ-  
mia.

Præparatio  
continua ad  
mortem  
bona est.  
Thren. 3.  
Basiliius de  
morte.

Quemad-  
modum qui  
in nauigiis  
dormiunt à  
ventis ultra  
aguntur,  
etiam si ni-  
hil sentiant,  
sed curus  
eos ad exi-  
tum & por-  
tum defert:  
Sic & nos,  
tempore  
nostræ vitæ  
præterfluen-  
te, quasi  
motu quo-  
dam perpe-  
tuo & inde-  
fesso ad  
suum quis-  
que finem  
occulto  
cursu vitæ  
nostræ festi-

assu-



namus.  
Dies mortis  
certus.  
Similitudo.

Præfens vi-  
ta meritò  
est incerta.

Matth. 24.

Ibidem.

Lucæ 11.

Aegrotus  
tempora  
pœnitentiæ  
petit, quæ  
sanus  
negligit.

Esa. 30.

assumeres! vnus mortis dies animæ tuæ pe-  
riculosus est: sed quia eum nescis, idcirco  
omnem diem suspectum habebis. Si enim sci-  
res, quo tempore de præfenti sæculo exires,  
aliud tempus voluptatibus, aliud pœnitentiæ  
partiri posses: sciens quantum deberes viuere,  
præscires quando à voluptatibus deberes ab-  
stinere. At quoniam præfens vita semper in-  
certa est, tantò magis subrepens semper time-  
ri debet, quanto minus præuideri valet: sem-  
per ergo vltimum diem debes metuere, quem  
nunquam potes præuideri. Si sciret pater fa-  
miliæ, qua hora fur veniret, vigilaret utique,  
& non sineret perfodi domum suam, ideòque  
& tu esto paratus, quia nescis, qua hora filius  
hominis est venturus: serò an media nocte,  
an galli cantu, an manè: ne cùm venerit re-  
pente, inueniat te dormientem. Dominus dum  
discipulis præcepit, Videte, vigilate, & orate:  
postea subdidit, Quod vobis dico, omnibus di-  
co, vigilate. Vigila ergo, frater charissime, si-  
milis homini expectanti dominum suum, quan-  
do reuertatur à nuptiis: vt cùm venerit & pul-  
sauerit, confestim aperiat ei; vigilabis autem:  
si omni hora eris paratus, quasi eadem sine du-  
bio esses moriturus.

Quòd si te aliqua ægrotudo corripiat, si æ-  
grotudinis signa vicina mortem denuncient:  
inducias viuendi quæris, vt quæ commisisti, de-  
flere possis: & ad agendam pœnitentiæ tempus  
summo desiderio petis, quod modò acceptum  
pro nihilo ducis. Tempus pœnitentiæ ad in-  
ducias conuersionis accepisti, ideòque expe-  
ctat



Et ait Dominus, ut misereatur tui: & tamen non solum commissa non defles, sed etiam quæ defleantur, auges. Si rem quampiam mutuam acceperis, ea assidue opus tuum operaris: apud te dicens, Cras à me tollenda est, sed corruptibile istud corpus ad animæ tuæ operandam salutem tibi à Domino datum, tuum non est, sed breui est à te repetendum: & tamen eo non solum animæ tuæ salutem operari negligis, sed etiam eius damnationem pœnè incessanter operaris: quantò vita tua est longior, tantò culpa tua fit numerosior.

Hesterno die mori potuisti, & mortuus non es: id igitur quod hodie viuis, tibi pro lucro deputare debes, tibi etenim à Domino prolongantur dies salutis & gratiæ, causa agenda pœnitentiæ & maioris consequendæ gloriæ, sicut ne somnus quidem sanctorum vacat merito, ita ne minimum quidem temporis transigere deberes sine opere meritorio. Sicut enim homines etiam ditissimi, & qui magnam seruatorum familiam alere & sustentare possunt, plarumque vsque ad potentiorum famulatum sese demittunt: quibus dum seruiunt, multas naturæ commoditates sibi subtrahunt: sola (qua sæpius falluntur) spe & expectatione augendarum suarum fortunarum, ut scilicet domum domui, & agrum agro coniungant, ut officia officiis & sacerdotia addant sacerdotiis. Quòd si hi qui multis opibus abundant, cum tanto labore nouas iugiter accumulunt: quæ tum maxime augentur, cum ne minima quidem lucra contemnuntur: quantum igitur in aggregandis

Mutuam  
acceptam.  
Notandum  
bene.

Corpus  
quod cir-  
cumferi-  
mus, non est  
notum,  
sed Dei, bre-  
ui repeten-  
dum.

Pro lucro ti-  
bi pone diē,  
quicumque  
laboras.  
Quare dies  
nostri pro-  
longantur.  
Somnus  
sanctorum  
meritorius.

Diuites di-  
tioribus fa-  
mulantes.

Notandum.  
dis



Melius vi-  
xisse opta-  
mus mori-  
turi omnes.

1. Corint.

15. Mansio-  
nes multæ  
in cælo, ita  
& præmia  
diuersa &  
varia

Matth. 20.

Luc. 21.

Pro mini-  
mo maius  
accipimus.  
Matth. 11.  
Labor  
transiit &  
merces re-  
manet.

Pœnitentia  
cruciat, iu-  
sticia tran-  
quillat, vita  
æterna glo-  
rificat.

Quid faci-  
endum ho-  
mini, quum  
incipit de-  
fatigari in  
suo opere.

Passio  
Christi.  
Luc. 24.

dis spiritualibus diuitiis, tibi Christi seruo la-  
borandum esse credis? Quantumcunque bene  
vixeris, & maiora bonorum operum lucra in-  
cessanter accumulaueris, moriens tamen me-  
lius voles vixisse, & maiora bonorum operum  
lucra fecisse; nunc ea fac, dum viuis, quæ fe-  
cisse voles, quando morieris. Stella à stella  
differt claritate, & mansiones multæ sunt in  
regno illo cœlestis gloriæ: quantò plura &  
maiora bona feceris in terris, tantò maior glo-  
ria te manet in cœlis: sicut nullum malum  
impunitum, sic nec vllum bonum manet irre-  
muneratum: omnes tui dies non minus quàm  
capilli numerabuntur, & sicut nec capillus  
de capite, ita nec momentum peribit de tem-  
pore: maioribus laboribus, maiores dat retri-  
butiones Dominus: qui licet modici videan-  
tur in opere, magni tamen sunt in retributio-  
ne. Habens hanc promissionem nunquam fa-  
tigeris, nec graue Christi onus causseris: quod  
teste ipso leue est & suaue.

Laborum tuorum meta est perbreuis, eo-  
rum verò corona est perennis, appende id quod  
hic pateris, ad id quod illic adipisci confidis:  
non sunt condignæ passionis hujus temporis  
ad præteritam culpam, quæ pro iis remittitur,  
ad præsentem consolationis gratiam, quæ pro  
iis immittitur, ad futuram retributionis glo-  
riam, quæ pro iis promittitur. Ad tempus la-  
borabis, ne in æternum inter injustos laborare  
possis: ad modicum dolebis, sed sine fine gau-  
debis. Quod si inter has molestias incipis la-  
bi, propone tibi exemplum passionis Christi,  
vide



vide, quid pro te pertulit, qui quare hæc perferret, non habuit. Si Christum Deum & hominem pati oportuit, & ita intrare in gloriam suam, quantò magis pro gloriæ illius adeptione pati te oportet vermiculum vilem? Quantacunque patiaris, non peruenies ad illas insultationes, ad illa flagella, ad illam purpuream vestem, ad illam spineam coronam, ad illam postremò ignominiosam dolorosamque crucem. Attende, quanta gloria ex laboribus tuis sine transitu attingitur, & iam fiet tibi brevissimum lenissimumque, quod transeundo laborabitur, si mentem tuam delectat magnitudo præmiorum, eam non deterreat magnitudo præmiorum, eam non deterreat magnitudo laborum. Si te labor deterret, merces inuitet: spes præmii tibi sit solatium laboris: ad magna præmia nisi per magnos labores non peruenitur, nisi quis legitime certauerit, non coronabitur. Quòd si mercator id quod magno sibi fore vsui sperat, quantò emat pretio, non curat: si etiam nautis minaces illi pelagi fluctus, si tempestates atque hyemes agricolis, si vulnera cædésque militibus, si grauissimi illi ictus plagæque pugilibus leues videntur atque tolerabiles, propter spem temporalium & pereuntium bonorum: multò magis cùm cælum proponatur tibi in præmio, & ineffabile illud gaudium: quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: vbi si non liceret amplius manere quàm vnus diei mora, propter hoc solum innumerabiles huius vitæ dies pleni deliciis & circumfluentia tem-

Passiones Christi.  
Spes præmii, solatium est laboris.  
Omissionem, i.e. negligentiam ne queramus:  
Afflictionem suis discipulis promisit Christus.  
Et Paulus: Qui volunt, in Christo viuere, persecutionibus vexabuntur.  
Chrysost.  
Generosus athleta in stadio balnea non querit, nec mensam cibis & vini onustum: Hoc enim non est athleta, sed mollis & ignaui.  
Nam athleta pugnat cum puluere, oleo, solis calore, sudore multo: Afflictione & angustia.  
Certaminis hoc est & pugnandi tempus,

B

pora-



ergo etiam  
vulneris ac-  
cipiendi, &  
dolendi, &  
languinis  
effundendi  
tempus est.  
2. Tim. 2.  
1. Corint. 2.

Nota.

Arena est  
hæc vi a, in-  
quit, Chryf.

In arena  
autem &  
carraminibus  
non  
potest re-  
misse agere  
qui coro-  
nandus est.  
Matth. 20.

Sine perse-  
uerantia  
nec opus  
meritum  
habet.

Remissio,  
securitas,  
requies,  
hæc emol-  
liunt & dif-  
fundunt  
animum;

Tentationes  
autem con-  
solidant, ac  
cum Deo  
coniungunt,  
quemad-  
modum

Propheta  
dicit

In calami-  
tate memi-  
nimus tui.

Et Psalmista.

Ad Domi-  
num, cum

poralium bonorum rectè meritoque contemni  
debeant. Non deberes igitur reputare ad la-  
borem, in bono opere perseverantiam, & con-  
tinuam præparationem ad mortem: quam si  
heri euasisti, hodie forsitan non euades: afferet  
vna dies, quod non anni tulere centum.

Perseuerandum tibi est in bono opere:  
quia non qui bene cœperit, sed qui perseuera-  
uerit vsque in finem, hic saluus erit. Frustra  
bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur:  
is frustra velociter currit, qui priusquam ad  
metas perveniat, deficit. Magna quidem est  
contra peccatum virtus pœnitentiæ, sed ei dun-  
taxat, qui voluerit perseverare. Sine perseue-  
rantia, nec opus meritum habet, nec labor  
præmium, nec cursus brauium, nec seruitium  
gratiam, nec pœna quantumlibet afflictiva co-  
ronam. Si vis æterno sine fine carere suppli-  
cio, & cælesti sine fine frui gaudio, necesse est,  
vt Dei sine intermissione obedias præcepto.  
Nec cum seruo illo Evangelico dicas, sicut so-  
les, moram facit Dominus meus venire, ideo-  
que incipis percutere conseruos tuos, mandu-  
casque & bibis cum ebriosis. Veniet Domi-  
nus Deus tuus in die, qua non speras, & hora  
qua ignoras, & te malum malè perdet. Si pa-  
tiens est & longanimis Dominus Deus tuus, si  
tibi peccanti terrores intentat, & adhuc susti-  
net: si venire citius differt, vt minus inueniat,  
quod condemnet: noli eius patientiam & lon-  
ganimitem negligere: quia tibi tantò distri-  
ctiorem iustitiam exercebit, quantò longiorem  
patientiam ante iudicium prorogavit: & quem  
vides



vides peccata tua diu patienter ferre, scias hunc aliquando etiam districtè iudicare.

tribularet, clamaui & ex. &c.

Matth. 24.

Deus expectatum grauius damnat.

Augustinus!

Omnis ma-

lus aut ideo

viuit, vt cor-

rigatur, aut

ideo viuit,

vt per ipsum

boni exer-

ceantur.

Valerius

lib. I. de me-

mo. distis.

Lento enim

gradu ad

vindictam

sui, diuina

procedit

ira, & tardi-

tatem

supplicii

grauitate

penat.

Mori semper

paratus.

Qualis vita,

finis ita.

In quo statu

mories, in

eo & iudi-

caberis.

Eccl. 7.

Itaque, frater charissime, semper sic viue,

vt semper è vita paratus sis decedere: vigila

in tempore omni, ne te imparatum inueniat ad-

uentus Domini: te autem imparatum inueniet

Dominus, si te imparatum inueniet dies vlti-

mus: qualem te inuenerit Dominus, dum te

vocabit, talem te iudicabit. Memorare novis-

sima tua, & in æternum non peccabis: & si

ue bibas, siue comedas, siue quicquam aliud

facias, semper in mentis tuæ auribus sonet il-

la extremi iudicii tuba, Surgite mortui, venite

ad iudicium. Si qua tibi est præsentis tempo-

ris lætitia, nunquam tamen finalis iudicii ama-

ritudo recedat à memoria.

QVANTA PRAESENTIUM VOLUPTATVM EST INAEQUALITAS, AD AETERNAS INFERNI POENAS.

CAP. IV.

**N**È quinquaginta quidem anni, vt reor tibi superesse possunt vsque ad extremam (quamuis longissimam) senectutem. Verum esto sane, frater charissime, vt tot adhuc annos victurus sis. & cœlitus tibi reuelatum fuerit, te non visurum mortem, donec adhuc quinquaginta illos annos plenè compleueris. Ne id quidem te auocare debet, quò minùs Deo seruire incipias, & ad eum per poenitentiam iam iam te conuertas. Imprimis voluptatum certa est breuitas, & ipsius quoque bre-

Voluptatum instabilitas, Voluptatum



breuitas.  
Quicquid est  
in mundo,  
instabile &  
mobile &  
plane transi-  
torium est.

Nonnun-  
quam volu-  
ptatibus ad-  
miscetur  
amaritudi-  
nes.

Deliciosum  
hominem  
habiturus  
est locus  
infernus.

Voluptatem  
sequuntur  
miseriæ.  
Notandum:  
Impossibile  
hic gaudere  
cum mundo,  
& postea re-  
gnare cum  
Christo.

A Simili ar-  
gumentatio.  
Pœnarum  
infernæ eter-  
nitas.  
Boëtius lib.  
3. de conso-  
latione.  
Quid de  
corporis vo-  
luptatibus  
loquar,

breuitatis quàm finis incertus! Sæpe deserunt  
viuentem, nunquam verò sequuntur morien-  
tem. Semper mobilis est & instabilis huma-  
narum rerum status: frequenter si vita in lon-  
gum producitur, nec tamen ei voluptates fide-  
liter relinquuntur: sed plerumque accidit, vt  
priùs quis voluptatibus quàm vita deficiat.  
Sæpius enim summa prouidentia Deus his mi-  
scet amaritudines: vt alia quærat felicitas,  
cuius dulcedo non est fallax: vt dum nihil  
de hoc mundo nisi tristitiæ fructus colligitur,  
solus Deus in desiderio habeatur.

Veruntamen, frater charissime, conceda-  
mus te tot annos victurum, & nullam aduer-  
sitate esse passurum. Imprimis quæso con-  
sidera diligenter, quis locus post quinquaginta  
illos annos reuolutos, miserimam animam  
tuam sit habiturus? nimirum infernus. Nam  
de deliciis mundi, rectà itur ad miserias infer-  
ni: sicut etiam per miserias mundi peruenitur  
ad gaudia cæli, nemo enim potest de deliciis  
transire ad delicias: vt hic cum mundo, illic  
gaudeat cum Christo: vt hic ventrem, illic pa-  
scent mentem. Deinde ad execrabiles intole-  
rabilesque pœnas, quas illic positus patieris,  
paulisper applica cogitatum tuæ mentis. Po-  
stremò attentè considera, si tibi diceretur, Fru-  
ere carnis voluptatibus, ea tamen lege: vt hoc  
vel illo exacto tempore eruantur tibi oculi, &  
reliquum vitæ tuæ tempus omni orbatus dele-  
ctatione, in fame, siti, cruciatu, in omni deni-  
que miseria transigas: an oblatam conditionem  
hanc accipias? Profectò te ita tui non puto ob-  
litum,



litum, vt cogitares de fruitione harum voluptatum. Verum omne illud tempus tibi ad delicias indultum quid esse potest ad illam æternæ damnationis comparationem, cui neque finis, neque pœna similis? quæ superat omnium martyrum tormenta, etiam in vnum collata? quantum istud spatii est ad æternitatem? quantum est tantillum voluptatis ad illam pœnarum multitudinem? Omne illud tempus quo deliciis frueris, ad æternitatis comparationem quid aliud est quàm somnium vnius noctis? Visne æternas subire pœnas, vt vna nocte delectabile somnium videas?

quarum appetentia quidem plena est anxietatis, Satietas, vero poenitentia.

Voluptatum breuitas. Chryllo- mus de reparatione lapsi.

Dic igitur nunc, quanta tempora luxuriæ & gulæ, quæ deliciarum spatia comparare vis talibus pœnis? adde centum, si placet, annos ad indulta tibi deliciarum tempora, adde & alios centum, si libet, adde & decies centum, quæ erit ex his ad æternitatem comparatio? Quod si æquale tempus & idem spatium, deliciis & pœnæ esset positum: inuenirine posset aliquis tam stultus & tam demens, vt vellet pro vno die deliciarum, vnum diem subire pœnarum: cum soleat dolor vnius horæ & quilibet cruciatus corporis, in obliuionem mittere omne tempus transactum in deliciis? Modò verò cum pro unius diei, imò unius horulæ delectatiuncula, æterni gehennæ cruciatus repositi sint: itane tui immemor hos pro illa vis recipere, aut illam pro his permutare? vis pro vili & momentanea delectatione peccati acerbissima subire supplicia inferni? & pro amore temporalium bonorum perdere bona æterna,

Centum, si placet, annos demus deliciis, adde, & alios centum, si libet, adde & decies centum, quæ erit ex his ad æternitatem comparatio? Nonne omne tempus vitæ, huius, quo deliciis tui videmur, & indulgere libidini, quasi noctis vnius somnium, ad æternitatis comparationem videtur?



In hominis  
vita nihil  
aliud quam  
finis inueni-  
tur.

& præter hæc, æterna cruciari gehenna? Si à primo die mundi conditi vsque in hodiernum diem semper in honoribus & voluptatibus vixisses, quid ex his tibi remaneret, si nunc mori tibi contingeret? idne tempus diceres diuturnum, ad cuius peruenisses extremum? Quid istud est in hominis vita diu, cuius finis inuenitur? qui cum aduenit, præterita voluptas effluxit; cum tempore præteriit quod delectat, & sine fine permanet, quod cruciat. In hac vita, seu bona seu mala terminum suum norunt, eumque velociter sortiuntur: cuncta huius vitæ & prospera & aduersa velut vmbra pertranseunt, & velociter fugiunt: in futuro autem sæculo vtraque immortalibus spatiis protenduntur.

Auis minu-  
tim corro-  
dens mun-  
dum.

Si enim ex Dei beneplacito vna quæpiam auis milleſimo quoque anno centesimum tantum grani tritici partem absumeret, & ab eadem tam longis temporum distantis tota terræ machina minutim sic esset absumenda: ea tamen lege, vt ea sic absumpta damnati essent liberandi, adhuc certè illorum annorum, tametsi infinitorum, tandem inueniretur terminus; sperarentque damnati aliquando post innumerabiles annos posse liberari; sed proh dolor, si essent decies centies centies centena milia mundorum taliter absumendorum, ne sic quidem liberabuntur, quia in inferno nulla est redemptio: & sicut non erit finis gaudii bonorum, ita nec finis erit supplicii malorum. Quod si in tam longa æternitate in lecto molli & delicato tibi esset manendum, sic vt nul-

Lectus mol-  
lis.

la



la occasione recedere posses, ne hoc quidem sustinere valeres: quo modo ergo in æternis illis gehennæ tormentis tot annos durare poteris? Si nunc modica corporis afflictio te adeo impatientem efficit, quid gehenna efficiet, cui neque terminus, neque pœnarum ullus est modus? quo modo pœnam illam sustinebis, si hic modicam breuémque pœnitentiam sustinere nequis? nunc elige, vtrum mauis, an sine fine viuere cum angelis, an sine fine cruciari cum impiis, an temporalem requiem & sempiternum laborem, an temporalem laborem & sempiternam requiem.

Tolle etiam, si placet, formidinem gehennæ, à peccato auocare te deberent gaudia æternæ gloriæ: si præsentis delicias nullæ miseræ subsequerentur, nec huius vitæ voluptates angustiis in morte commutarentur, sed sola diuinæ caritatis priuatione punirentur: ne sic quidem pro temporariis ac pereuntibus fragilis huius vitæ voluptatibus, deberes velle priuari diuinæ pulchritudinis contemplatione & gaudiis illis cælestibus. Tu tamen tui oblitus, pro transitoriis voluptatibus, non solum æternis te priuas gaudiis, sed etiam æternis te obligas suppliciis. Bestiæ in id tantum feruntur, quod adest, quodque præsens est: sic bestialis animus tuus plus præsentibus mouetur deliciis, quam futuris: mauult terrena quæ oculis offeruntur, quam cælestia quæ animæ promittuntur: præsentem vitam

Peena damni sola deberet nos auocare à voluptatibus.

Bestiales voluptates.

Bestialis animus tantum præsentibus mouetur deliciis.



solùm attendit &, quid post hanc futurum sit, præuidere negligit.

Exhortatio.  
Pœnitentiæ  
dolorem  
cæli gaudia  
sequuntur.  
Augustinus.  
Quia impu-  
nitum non  
debet esse  
peccatum,  
puniatur a  
te, ne tu  
pro illo pu-  
niaris.  
Peccatum  
tuum iu-  
dicem te ha-  
beat, non  
patronum.  
Præsentia  
gaudia se-  
quuntur la-  
menta per-  
petua.

Itaque, frater charissime, melius tibi est hic paruum amaritudinem sustinere, & postea ad æternam dulcedinem peruenire: quàm hic habere falsum gaudium, & illic sustinere sine fine supplicium. Pœnitentiæ labor citò præterit, eius verò præmium in æternum persistit: labor modicus, corona perpetua: e contrario voluptas modica, passio infinita. Voluptas dilabatur cum tempore, pœna verò ei debita permanet sine fine: pro vna guttula voluptatis, illic inuenitur æternitas amaritudinis: hic est quidem paucitas mellis, illic verò magna quantitas fellis: præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta.

QVOD PRÆSTAT IAM A IUVENITUTE POENITENTIAM AGERE,  
QVAM EAM IN SENECTVTEM VS-  
QVE PROROGARE.

CAP. V.

Peccare spe  
pœnitentiæ.

Ob iuven-  
tutem suam  
differt pec-  
cator pœni-  
tere.  
Homo fa-  
cillimè læ-  
ditur, diffi-  
cillimè sa-  
natur.

**E**Sto sanè, frater charissime, vt ad extremam vsque senectutem te certò peruenturum noueris, & in ea pœnitentiam certò acturus sis: ne ea quidem spe, audacter debes peccare. Quòd enim dicis, iuuenis homo sum, facio quod me delectat modò, & postea pœnitentiam agam: perinde est, ac si diceres, Percutio me gladio crudeli, & postea medicinam adhibebo vulneri. Heu miser homo nescis, quòd, vnus horæ puncto vulnus



vulnus accipitur, sed vix longo tempore ad  
pristinam sanitatem reuocatur? breuis & faci-  
lis est inflictio vulneris, eius tamen curatio  
plerumque est impossibilis: non tam facile hæ-  
reditas recuperatur, quàm amittitur: nec ita  
breuis est contractus recuperationis, sicut alie-  
nationis: quia vbi alienatio quandoque est  
breuis, eius recuperatio plerumque est impos-  
sibilis. Sic opus peccati breue est: eius ta-  
men recuperatio, quod per peccatum amittitur,  
peccanti impossibilis esset, nisi Dei misericor-  
dia pœnitentiæ remedium indulgisset. Sed  
qui scis, an post peccatum miserebitur tui Do-  
minus, & relinquet post se benedictionem?  
qui scis, an peccati tui consequeris veniam?  
commissi in Deum peccati certus es, absoluti  
à Deo peccati tui certus non es.

Verùm esto sanè, vt certò scias te pec-  
cati tui consecutum veniam: tamen si abso-  
lutus es à peccati culpa, non protinus ab-  
solutus es à peccati pœna; non enim sufficit  
conteri, confiteri, & à peccato desistere: sed  
etiam oportet commisso peccato per pœ-  
nitentiam satisfacere. Neque enim si scriptor  
à scriptura cessauerit, quia alia non addidit,  
etiam illa, quæ scripserat, deleuit. Nec qui  
contumelias alteri irrogat, si postea tacuerit,  
non protinus ei satisfecit: cùm profectò ne-  
cesse sit, vt quem diffamauit malè loquen-  
do, innocentem declaret retractando & bene  
loquendo, nec debitor absolutus est; quia alia  
non multiplicat, nisi ea, quæ prius mutuò ac-  
cepit, persoluat. Sic & tu, qui Deum per pec-

B s

catum

Facilis est  
alienatio  
bonorum,  
sed difficilis  
recuperatio  
eorum,  
quemad-  
modum fa-  
cile quis læ-  
ditur, sed  
difficiliter  
sanatur.

Iohelis 2.  
Nescit ho-  
mo, vtrum  
amore vel  
odio di-  
gnus sit.

Satisfactio  
necessaria.  
Non statim  
à pœna ho-  
mo absolui-  
tur, quam-  
uis a culpa  
abluatur.

Simile.



Contraria  
contrariis  
curantur.  
Satisfactio  
laboriosa.  
Augustinus.  
Melius est  
modica  
amaritudo  
in faucibus,  
quam æter-  
num tor-  
mentum in  
visceribus.

Similitudo.

Augustinus.  
Satisfactio  
est peccato-  
rum causas  
excidere, &  
suggestioni-  
bus eorum  
aditum non  
indulgere.

Peccans  
subinde.

Bernardus.  
Nil precio-  
sius tempo-  
re, & heu nil  
hodie eo vi-  
lius inueni-  
tur, transiit  
dies salutis  
& nemo re-  
cogitat.  
Nemo sibi  
perire diem,  
& nunquam  
rediturum  
causat.

catum offendisti, confitendo nondum ei pœ-  
nitus satis fecisti: sed vt contraria contrariis  
curentur, oportet vt qui peccando sensisti vo-  
luptatem, satisfaciendo sentias pœnam & la-  
borem. Deus qui peccatoris conuersionem  
toto corde desiderat, ab infernali morte pec-  
cato debita pœnitentem liberat: ei restituit  
gratiam gratum facientem, pœnamque æter-  
nam commutat in temporalem: aut cum mi-  
sericordia luendam in mundo, aut cum distri-  
ctione persoluendam in Purgatorio. Velut  
sæpe ægrotus moreretur, nisi medicaretur,  
non tamen statim medicatus sanatur: languet  
victurus, qui prius sine dubio erat moriturus:  
sic peccator, qui sine pœnitentia æternaliter  
moreretur, per pœnitentiæ remedium ad æter-  
nam vitam reuocatur. Quanta putas illi pec-  
cato opus est temporali satisfactione, cui prius  
debeatur æternus ardor gehennæ? Quam sa-  
tius tibi est peccatum omnino non admittere,  
quod tanta contritione, tantis lachrymis, tan-  
tis denique laboribus tibi est expiandum: si  
ex Dei misericordia fortè contigerit (vt certè  
necesse est) te resipiscere, & in melius vitam  
tuam commutare? Mercator ille stultus est, qui  
facit aliquem contractum, cuius scit se postea  
pœniturum.

Tu verò quotidie toties & tam grauius  
peccas, vt si Deus te nunc ad baptismalem in-  
nocentiam repararet, teque ab omni & culpa  
& pœna omnino absolueret: adhuc tamen aliis,  
quæ breui tempore committeres, vix tota vita  
tua satisfacere posses. Et nunc ad bene ope-  
ran-



randum non resurgis? sed noxio sopore in peccatis tuis securus semper dormis, dicisque, paululum adhuc in peccatis meis dormiam; & postea ad bonum opus per pœnitentiam resurgam. Te bonum opus sic de die in diem semper differente, tandem fiet, vt pœnitentiæ agendæ tempus congruum infructuose elaboratur, & anni tui sicut vmbra prætereant; & iudex inprovisus adsit, qui malefacta tua puniat, & te nec opinantem intercipiat. Nunc tempus est valdè pretiosum, & illud inutiliter expendis: veniet tempus, quando vnam horam pro tua emendatione desiderabis, quam nescio an impetrabis. Atque vtinam res omnis ad temporis iacturam veniret, nec peccatorum tuorum cumulus in dies cresceret, minore tandem tibi opus esset pœnitentia: sed proh dolor, vnde placare Deum debueras, inde eum magis magisque contra te irritas: quantò amplius viuis, tantò amplius peccas: quantò vitata tua est longior, tantò culpa tua fit maior; Sicque diuturnæ vitæ tempora, quibus vti debueras ad pœnitendi auxilium, tibi in damnationis conuertis augmentum. Nunc accepta pœnitentiæ tempora conuertis ad culpam, sed districtus iudex cùm venerit, indulta misericordia: tempora tibi conuertet ad pœnam.

Peccata tua senio non moriuntur, nec vetustate temporum obruuntur: quinimò velut in hydra vno capite resecto, alia validius & numero sius pullulantia renascuntur. Sic peccata peccatis aggregas, & ea absque numero multiplicas. Quantò diutius in ferro rubigo fuerit,

Sed sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore. Tempus pœnitentiæ frustra non terendum. Prætereunt dies nostri, & velocius aduenit clarus aduentus Domini.

Væ illis qui tempus suum inutiliter perdunt, nam quantumcunque bene vixeris, & maiora bonorum operum lucra incessanter accumulatis, moriens tamen melius vultes vixisse, & maiora bonorum operum lucra fecisse.

Nota. Difficile est assueta relinquere, De mala consuetudine. Similitudines.



fuerit, tantò vehementiùs intenditur: & semper magis ac magis ferrum corrodit, & inde difficiliùs eraditur. Sordes quantò in vase relinquuntur diutius, tantò inde amouentur difficiliùs: sic quo diutius malis moribus assueueris, eo difficilius ab iis auelleris: quibus non alieno ferro, sed tua ferrea voluntate semper magis magisque religatus detineris. Nunc peccatorum laqueis te explica: ne posthac dum iis te ipsum fortius implicaueris, te inde explicare vix possis. In dies crescit peccatorum tuorum cumulus, simul decrescit ætatis tuæ robur & virtus: quantò plura & maiora fuerint peccata, tantò pro iis maiora agenda est pœnitentia, quid igitur quando peccatorum tuorum sarcina est leuior, & tu ad illam ferendam es fortior: grauissimum onus pœnitentiæ, humeris tuis differs imponere? Præter rationem est, vt in senectutem quæ omnium ætatum est debilissima, totum pœnitentiæ onus reiicias: & quando debilior eris, tunc onus, quod indies fit maius maiusque, portare proponas.

Si seruus iuuenis, à Domino suo multis affectus bonis: postea ei vltèrius seruire nolit, sed tota vita sua ei contrarius sit: & capitali domini sui seruiat inimico, statuens tandem post multas offensas seruire vero suo domino: cum ei modico tempore, & nulla pœnè in re poterit prodesse, qualis tibi videretur seruus ille? Si dispensator quispiam lautissima quæque daret extraneis, & domini sui inimicis: & putidissima quæque domino suo exhiberet, quis

Pœnitenti proponendum, quod sequitur.  
Peccatorum sarcina in dies fit maior.  
Seneca 67. Cap.  
Fluunt omnia, & in assidua diminutione sunt corpora nostra, rapiuntur fluminum more.  
Quicquid vides, currit cum tempore:  
Homo fluida est materia & caduca, & omnibus obnoxius casibus.  
Seruus transtuga.  
Similitudo pulcherrima.

Dispensator infidelis.



talem dispensatorem fidelem inueniret? quas pœnas ab utroque dominus exigeret? nonne tuo ipsius iudicio digni essent, vt ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores mitterentur, vbi fletus & stridor dentium incessanter audiuntur? Tu verò ille ipse es seruus nequam, & non fidelis dispensator: qui mundo & diabolo in ætatis tuæ fortitudine seruis, & domino Deo tuo in senectutis tuæ debilitate seruire proponis: qui mundo & diabolo iuuentutis tuæ immolas florem, Deo autem senectutis tuæ fœcem. Idcirco dignus es, vt suspendatur mola asinaria in collo tuo, & sic mittaris in profundum inferni. Iustum enim est vt mortuus nunquam careas tormento, qui viuus nunquam carere voluisti peccato: qui tum demum quæris benè agere, quando iam compelleris de corpore exire: qui tum demum cettare proponis, quando tibi deerit stimulus carnis, qui te collaphizet, & legi mentis tuæ repugnet. Sed de continentia non es habiturus præmium, qui contra vitia non habueris bellum: eos duntaxat expectat gloria, quibus laboriosa fuerint certamina; non eris strenuus miles in senectutis tuæ debilitate, qui semper væcors & fugitiuus fueris in iuuentutis tuæ fortitudine.

Itaque, frater charissime, ne moreris de die in diem conuerti ad Dominum, ne id differas in diem crastinum: ne in horam quidem sequentem, sed ne in temporis quidem momentum. Surge, & in hoc temporis puncto pœnitentiam incipe: tibi ipsi dicens, lusisti satis, edisti satis, atque bibisti, nunc tempus est

pœ-

Seruus est nequam qui quis peccato est obnoxius.

Match. 18.

Perseuerantia in peccatis.

Serius pœnitere cupiunt plerique hominum.

Vbicunque non est bellum, ibi non erit victoria vlla.

Pœnitentia non differenda.

Chrylost.

Certaminis hoc est & pugnandi tempus, ergo etiam & vulneris ag-



cupiendi, &  
dolendi, &  
sanguinis  
effundendi  
tempus est,

pœnitendi, nunc tempus est pugnandi, nunc tempus est se emendandi. Hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat.

QVOD PRÆSTAT IN MVNDO  
POENITENTIAM AGERE, QVAM IN  
PVRGATORIO PRO PECCATIS  
SATISFACERE.

CAP. VI.

Augustin.  
Qui in aliud  
sæculum dis-  
tulit fru-  
ctum con-  
uersionis,  
prius purga-  
bitur igne  
purgationis.  
Hic etsi non  
sit æternus,  
miro tamen  
modo gra-  
uius est; su-  
perat enim  
omnem pœ-  
nam, quam  
homo vn-  
quam passus  
est in hac  
vita, vel pa-  
ti potest.  
Purgatorii  
acerbitas.  
Ignis pur-  
gatorii &  
inferni  
idem.

Ignis pur-  
gatorius est  
transitorius,

**A**T dixeris, scio quidem magna opus esse satisfactione pro peccatis meis, propter quæ mihi paratus æternus ignis: idcirco in senectute partem pœnitentiæ agam, & in purgatorio pœnitentiam meam perficiam. Ibi-que pro peccatis meis plenè satisfaciam. R. Nescis, heu nescis, quid petis, frater charissime, qui purgatorium petis. Grauius est esse in purgatorio, quamdiu possit oculus claudi & aperiri, quàm tota illa pœna quam sanctus Laurentius sustinuit in craticula: solum purgatorii momentum, superat omnes passiones Sanctorum: nulla pœna temporalis igni purgatorii est comparabilis. Ignis ille purgatorius etsi non est æternus, durior tamen est, quàm quidquid in hoc sæculo pœnarum posset cogitari, sentiri vel videri; nam sicut idem ignis purificat aurum, & consumit lignum: ita etiam purgatorii & inferni vnus idemque est ignis, in hoc tamen differunt, quòd ille transitorius est, hic verò æternus: ad cuius comparationem ignis noster est quasi ignis pictus, in quo

si ne



si ne tantillo quidem tempore extremum tui digiti potes sustinere, quo modo anima tua suo corpore denudata illum purgationis ignem poterit perferre? si nunc pœnitentiæ laborem non potes portare, quo modo purgatorii ardorem poteris tolerare? Verè teipsum decipis per inordinatum amorem, quem habes erga tuam carnem; dum eam in præsentem ne minima quidem vis pati, & in futuro animam tuam maioribus pœnis cruciari, quanto amplius tibi ipsi nunc parcis, & carnis desideria sequeris: tantò duriores postea lues pœnas, & maiorem tibi materiam comburendi seruas. Quid enim aliud ignis ille deuorabit nisi peccata tua?

Ignis inferni æternus.

Caro affligenda, ne purgatorium lentiat anima.

In purgatorio vna hora grauior erit in pœna, quam hic mille anni in amarissima pœnitentia: plus valet in mundo cum pœnitentia dies vnus, quàm in purgatorio cum grauiissima pœna vnus annus. Et quia in pœnitentia Deus plus ponderat satisfactionem bonæ voluntatis, quam pœnam duræ afflictionis: ideo quod ibi deerit de voluntario, supplebitur in tormento: ibique longo tempore grauique supplicio peccatis illis satisfacere oportet, quibus hic breui leuique pœnitentia satisfieri posset. Vnde Psalmista, quia illam purgatorium ignem omni præsentem tribulationem existimabat intolerabiliorem: non solùm in furore æternæ damnationis petit non argui, sed etiam in ira transeuntis purgationis timet corripi, dicens: Domine, ne in furore tuo at-  
guas me, neque in ira tua corripas me. Ne me

Pœnitentia purgatorio efficacior.

In pœnitentia Deus multum voluntatem bonam æstimat.

Psalm. 61



Quomodo  
David opta-  
uit liberari  
à purgato-  
rio.  
Pœnitentis  
deprecatio.

Pœna pro-  
pria melior  
quàm alic-  
na.

Anima no-  
stra hic per  
pœniten-  
tiam à pur-  
gatorio re-  
dimenda.

Amicorum  
obliuio.

Eccles. 14.

Mortui me-  
moria perit  
cum sonitu.  
Memoria

me in illo tremendo examine vel cum re-  
probis ferias, vel cum saluandis igne purga-  
tionis affligas: quod vt fiat, Miserere mei,  
Domine, dum tempus est misericordiæ, me  
in misericordia corripe, hic per flagella con-  
tere, Hic igne tribulationis exure. Hic ure,  
hic seca, Domine: vt in futuro sæculo par-  
cas, vt in morte nil in me purgandum in-  
uenias. Quoniam infirmus sum, & intolera-  
bilem purgatorii ignem perferre non possum.

Si igni purgatorio destinatus ad pristinam  
vitam rediret, qualem putas pœnitentiam age-  
ret? certè si posset, nihil ibi purgandum serua-  
ret, sed hic peccatis suis plenè satisfaceret. Bea-  
tius enim est animam omni debito prorsus li-  
beram exire, quam post vincula libertatem qua-  
rere. Satius est vt bona quæ ab amicis post  
mortem tuam agi speras, eadem per te viuus  
& valens agere incipias: plus enim Deo satis-  
facit pœna propria, quàm aliena. Noli con-  
fidere in amicis & proximis tuis, in quibus non  
est salus, qui citiùs obliuiscuntur tui quàm pu-  
tas. Quo modo enim pro te solliciti erunt in  
futuro, qui pro teipso non sis sollicitus modò?  
putas, quòd aliis maior sit sollicitudo de salute  
tua quàm tibi sit de ea? ii fortasse vel salutem  
quidem suam negligunt, & quo modo alterius  
salutem procurabunt? iis committis animam  
tuam, qui forte non diligunt suam? si sibi ne-  
quam sunt, cui boni erunt?

Dum pila in terram cadit, tunc solum-  
modo sonitum edit: sic quamdiu inhumaberis,  
pro te cantabitur in ecclesiis: postea peribit  
tui

tui



tui memoria cum sonitu. Antequam facti amici carnales, ex bonis tuis facti locupletes, pro tua liberatione denariolum pauperibus erogarent: clamares vsque ad diem iudicii, Misere-  
mini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei; & non exaudirent. Amici sunt secundum tempus, nec tecum permanent in tribulationibus. Viuus & valens oculis mentis tuæ, ad purgatorium, quò post mortem deducendus es, conuerte. Illic intuere inter alias pœnas ibidem debitas, ignium exurgere flammæ, & quasdam miserorum animas inuoluere, & instar scintillarum sursum deorsum agitare. Inter eas imaginare animam tuam de profundis illis pœnarum locis ad te clamantem. Misere-  
re mei, misere mei: quia manus Domini tetigit me, nonne iam ad vocem hanc eius misereberis, & eam inde liberare procurabis? quod nisi facias, quiste sanæ mentis existimet? te enim aut etiam alios terreno carcere detentos liberare satageres, quantò ergo magis de diuinæ iustitiæ horribili carcere liberationem tuam procurare debes?

Ibi parua peccata, de quibus nunquam suspicareris, ad iudicium deducuntur, & vsque ad nouissimum quadrantem persoluntur. Ibi diuina seueritas de ocioso verbo arguit, & rationes subtiliter exquirat: pensa ergo, quid factura est de peruerso opere, si quosdam in iudicio suo corripit de ocioso sermone? Apud Deum sicut nullum bonum irremuneratum, ita nullum malum remanet impunitum, aut enim punit homo, aut Deus: homo punit pœ-  
ni-

mortuorum  
per breuis  
planè.

Notandum  
bene.

Iob. 19.

Amici plerique viuorum, non mortuorum.

Imaginare animam tuam in purgatorio esse.

Iob. 19.

Notandum.

Venialia

ibi puniuntur.

Cuiusmodi peccata nos ad purgatorii ignem ducunt.



Hebr. 10.

Satisfacere  
in mundo  
longè præ-  
stat.  
Horrendum  
est incidere  
in manus  
Dei viuen-  
tis.

Quamdiu  
vui mus  
tempus est  
gratiæ &  
misericor-  
diæ.  
Post mor-  
tem tempus  
rigoris est.

Retardatio  
à visione  
Dei.  
Quam  
purgatus  
debet homo  
esse.  
Notandum.

Amanti  
omnis  
mora longa.

nitendo, Deus autem pœnam exigendo. Sed quia horrendum incidere in manus Dei viuentis, dum vacat & licet tibi, iram fuge districti iudicis: & tua peccata puni in præfenti sæculo, ne ea districtus iudex puniat in futuro. Si hic illa eadem punies, nullum qui ea illic puniat, inuenies: si hic sine palpatione teipsum iudicaueris, illic non iudicaberis: si igne pœnitentiæ peccata tua combufferis, ea non comburet ignis purgationis: amat enim Deus pœnitentibus parcere, & eos qui semetipsos iudicant, non iudicare. Quamdiu viuis, tempus est acceptabile, dies est salutis & misericordiæ, tempus remissionis & gratiæ: post mortem verò tempus erit rigoris, & districtæ iustitiæ. Hic breui leuique pœnitentia longissimam, grauissimamque purgatorii pœnam potes euadere: illic verò, quia magnis malis debitor es, vsque ad nouissimum quadrantem, te oportet satisfacere: nunquam Dei faciem videbis, donec peccatorum tuorum minimum quadrantem persolueris.

Diuinæ lucis tanta est puritas: vt nisi vel de minimis purus & purgatus sis, & ad baptismalem innocentiam perueneris: eam videre nequeas. O quanta pœna est dilatio gloriæ, o quam amara est tardatio visionis diuinæ: maximè cum iam tempus Deo fruendi aduenit, & anima à pondere sui corporis absoluta fuerit? Ipsi animæ grauius multò est Deo carere, quam cruciari purgatorii igne: spes quæ differtur, eò plus affligit animam, quò magis se videt à summi boni fruitione retardatam  
per



per suam negligentiam: quam retardationem adhuc existens in corpore, per modicam pœnitentiam potuisset evitare.

Itaque frater charissime, disce nunc per pœnitentiam modica pati, vt tunc valeas à purgatorio liberari: melius multò est hic peccata purgare, quàm illic purganda reseruare. Stude igitur jam sic viuere, vt in morte rectà ad Deum possis euolare: nec anima tua à Dei visione vllò modo retardetur, sed è corpore egrediens statim Deo & angelis eius præsentetur.

QVOD NEMO SIMVL POTEST  
ET POENITENTIAM AGERE, ET  
VOLVPTATIBVS SVIS  
INSERVIRE.

CAP. VII.

**A**T dixeris, Quoniam præstat in mundo pœnitentiam agere, quam in purgatorio pro peccatis satisfacere; ideo toto vitæ meæ tempore pœnitentiam agam, sed simul voluptatibus meis inserviam. R. Falleris frater charissime, & longè, inquam, falleris: sicut impossibile est, vt ignis inflammetur in aqua, ita impossibile est voluptatem manere cum pœnitentia. Hæc enim sibi inuicem contraria sunt. Illa mater est risus, hæc mater est fletus: illa dissoluit, hæc constringit: illa plumbi pondus animæ imponit, eamque demergit in profundum: hæc animæ alas innectit, eamque volare facit in cælum: illa carni in omni-

Pœnitentia cum voluptate stare nequit.

Impossibile ignem in aqua inflammari.

Pœnitentia voluptati omnino contraria.



Cruce post  
Christum  
ferenda.

Lucæ 9:  
Quomodo  
vetus homo  
exuendus  
sit, & quo-  
modo Crux  
Christi ba-  
iulanda.

bus obtemperat & obedit, hæc carnem macerat & in seruitutem redigit: illa hominem à Deo auocat, hæc hominem Deo reconciliat: illa diabolo obedit, hæc Deo fideliter seruit. Non potes duobus dominis seruire, Deo scilicet & diabolo. Crucem, in qua cum vitiis & concupiscentiis carnem tuam crucifigas, post Christum non potes tollere, & simul iisdem carnis concupiscentiis inseruire. Christo indignus es, nisi ei crucem suam baiulanti sis comes: à quo diuerso itinere ambulas, si gaudia delectationesque sequeris, cui dux tuus viam ostendit amaritudinis? Si quis vult post me venire (dicit Dominus) abneget seipsum, veterem hominem exuat, mutetur ad meliora; incipiat esse quod non erat, & desinat esse quod per peccatum prius erat: tollat, semperque secum ferat suam crucem, in qua cum vitiis & concupiscentiis crucifigat suam carnem, mundo crucifixus sit, & mundus ipsi: mihi viuus, mundo mortuus: sicque tandem sequatur me pro se crucifixum, amore mei id faciens, & omnia prædicta sustinens. Qui enim per delicias & voluptates animam suam saluam facere volet, eam æternaliter perdet: quoniam ad æternam gehennæ mortem eam obligat, & à vita beata alienat. Qui autem in præsentī vita propter me animam suam perdiderit: utpote ei carnales voluptates subtrahendo, & si necesse sit pro nomine meo mortem sustinendo in æterna beatitudine eam inueniet, eamque in vitam æternam saluam faciet, & ad meliorem vitam perducet. Hæc est, frater charissime, ar-



cta via, & porta prorsus angusta: quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam: quæ quàm sit aspera, ne aspexeris, sed quò dirigit: nec quam sit arcta, sed vbi desinit. Quantò est arctior, quantò molestior, tantò in progressu inuenietur latior & iucundior: non solùm ex consuetudine reddetur facilis, sed etiam ex labore & passione Saluatoris: ampla est fidelium spei, & arcta infidelium vanitati, quòd eam laboriosam existimas, infirmitatis tuæ non est excusatio, sed potius desidiæ tuæ accusatio. Laboriosa sit sanè, nonne per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei? tu verò per spatiosam voluptatis viam, quæ te ad mortem ducit, ad vitam speras intromitti? Non potes hic deliciari cum mundo, & illic regnare cum Christo: præsentibus & futuris frui bonis, & ad cæli delicias de mundi transire deliciis. Qui in mundo consolantur, diuina consolatione indigni reputantur, qui autem pro nomine Christi patiuntur contumeliam, diuinam intra semetipsos sentiunt consolationem: qui Christo participant passionibus, ei etiam participant consolationibus. Nemo potest in vtroque sæculo gaudere: sed ei vnum necesse est perdere, qui alterum voluerit inuenire, alioqui enim diuersa non essent præmia castitatis & luxuriæ, ieiunii & gulæ, humilitatis & superbiæ. Diues ille purpuratus pinguis & crassus recepit bona in vita sua, Lazarus verò mala, sed diuersa post mortem tenent loca: deliciae miseris, & miseriæ commutatae sunt deliciis: in tuo

Via vitæ  
arctæ.

Per multas  
tribulationes  
oportet  
nos intrare  
in regnum  
Dei.

Actuum 14.  
Nemo potest  
de deliciis  
mundi transire  
ad delicias  
cæli.

Diuitis in-  
teritus.  
Luc. 16.



arbitrio est vel Lazarum sequi, vel diuitem.

Corporis  
voluptas  
nihil con-  
fert lan-  
guenti ani-  
mæ.

Verùm si vniuersum orbem lucratus fueris, & omnigenis voluptatibus animum expleueris, in morte quid plus habebis? Si seruos tuos magnificis dapibus viuere videas in extremis constitutus malis, ex eorum dominio quid lucraris? an forte, quia eorum Dominus es, lucrari te quidquam dices? nequaquam. Idergo ipsum ad tuam transfer animam. Si corpus pinguescit atque florescit, anima tabescente, hæc rerum copia quid pertinet ad te? sicut nec serui voluptas Domino mœrenti, nec vestis magnificentia corporis confert imbecillitati: ita dum corpore deliciaris, & magna rerum affluentia ditaris: & anima tua esuriat, eamque æterna damnatio maneat, nihil ei prodest hæc rerum copia. Quid dabis in commutationem pro anima tua? num aliam habes animam, quam des pro ea? Si totius mundi rex & Dominus esses, & ipsum pro anima tua offerres, ne sic quidem de æterna damnatione eam redimere posses. Quid igitur proderit, si mundum vniuersum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris? quid etiam proderit paucis diebus super terram regnasse, & æternum cælorum regnum amisisse? Christus pro anima tua pretiosissimum suum sanguinem fudit, quem pro tota mundi machina fundere noluit: maximum est ergo pretium animæ tuæ, quæ redimi non potuit nisi Christi sanguine: & tu eam pro vna breuissima voluptate perdis, & profundis, & tantillam voluptatem tot tantisque cruciatibus mercaris? Bre-

Matth. 16.  
Anima val-  
de est pre-  
tiosa.

Nihil est  
pretiosius  
anima.

uita.



uitatis ad æternitatem, finiti ad infinitum, quæ possit esse iusta comparatio?

Itaque frater charissime, satius multò est, ut vita tua ad tempus amarescat in pœnitentia, ne æternam amaritudinem sentiat in vindicta: Per fletus quidem ad gaudia peruenies, Veritate pollicente, quæ ait: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Ad fletum verò per gaudia deuenies, hac eadem veritate attestante: Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Qui peregrinus non gemit, cuius non gaudebit, quia patriæ desiderium non est in illo: quamuis corpus tuum in mundo teneatur, tamen cor tuum in cælum præmittatur. Aliud autem est migrare corpore, aliud migrare corde: is migrat corpore, qui motu corporis mutat locum: is migrat corde, qui motu cordis mutat affectum.

Per pœnitentia amaritudinem ad cæli peruenitur gaudia, Matth. 5. Extremum gaudii luctus occipat. Luc. 6.

*PRIMÆ PARTIS  
CONCLUSIO.*

**O**B hæc & multa alia quæ in hanc sententiam dici poterant, planè vides frater charissime, quam instabilis & cauduca sit vitæ tuæ conditio, ut ne de temporis quidem securus sis momento, quod cum ita sit, periculosum tibi est in eo statu viuere, in quo de hac vita nolles decedere, cum de momento in momentum hoc possit accidere. Dum sanus es, sana tibi est pœnitentia: dum infirmus, infirma: dum fueris mortuus, tibi erit mortua. Tempus vitæ breue est: quantumque id bene

Pœnitentia in vita tantum salutaris.

Tempus vitæ humanæ breuissimum est, ergo dum tempus ha-



hemus, ope-  
remur bo-  
num ad  
omnes.  
Eccles. 12.  
Eccles. 5.  
1. Theff. 5.  
Plal. 7.

Luca 3.  
Valerius.  
Lento enim  
gradu ad  
vindictam  
sui diuina  
procedit ira,  
& tardita-  
tem sup-  
plicii gra-  
uitate pen-  
sat.

Notandum.  
Deus gra-  
uiter punit  
expectatum,  
nec pœni-  
rentem.

Augustinus.  
Nolite ne-  
gligere,  
quod vos  
pius Domi-  
nus pec-  
cantes susti-  
net, quia  
quanto diu-  
rius expe-  
ctat, vt e-  
menderis,  
tanto gra-  
uius iudica-  
bit, si negle-  
xeritis. Lon-  
ga vita non  
pœnitenti  
est causa  
maioris da-  
mationis.

beatęque transegeris, & asperam egeris pœni-  
tentiam, adhuc tamen in articulo tuę mortis,  
velles egisse maiorem. Memento igitur Crea-  
toris tui in diebus iuventutis tuę, neque tar-  
des conuerti ad Dominum, neque id dif-  
feras in diem crastinum: dies enim Domini,  
sicut fur in nocte, ita veniet, qua hora non pu-  
tabis. Nisi citò conuersus fueris, Dominus in-  
te gladium vibrabit sui furoris: tendet arcum  
suum, & parabit illum, à cuius ventura ira vt  
possis fugere, dignos fac fructus pœnitentię:  
dum patiens & longanimis Dominus iram  
suam continet, dum adhuc ferire differt: dum  
te peccantem considerat, & tamen ad conuer-  
sionem adhuc expectat: dum te in iniquitate  
tolerat, vt te ab ea compescat.

Sed qui diutius toleraris, nec tamen ab  
iniquitate tua compesceris: vnde à morte eripi  
debueras, inde mortis vinculis te fortiùs allig-  
gas, & quia accepta pœnitentię tempora di-  
uertis ad culpam, tandem districtus iudex im-  
pensa misericordię argumenta tibi conuertet  
ad pœnam: tantò enim districtior ad iudicium  
veniet, quantò tibi ante iudicium maiorem pa-  
tientiam exhibet: quę nunc tolerat cum man-  
suetudine, in iudicio exiget cum districtione.  
Caue igitur indulta pœnitentię tempora par-  
uipendas, caue ne salutis tuę curam negligas:  
ne iudicis clementia & prorogata pietatis tem-  
pora, tibi in maioris damnationis conuertantur  
augmenta, ne ipsa vitę longinquitas, quam ac-  
cepisti per Dei misericordiam, ad maledictio-  
nis tibi crescat augmentationem. Ecce nunc

tem-



tempus reconciliationis & pœnitentiæ, non autem voluptatis & ineptæ lætitiæ: postea erit tempus retributionis & mercedis recipiendæ. Ecce, nunc tempus acceptabile, ecce, nunc dies salutis & diuinæ misericordiæ: postea erit tempus rigoris & districtæ iustitiæ. Tibi verò trans- eunt hi dies salutis, & non recogitas? tempore nil est pretiosus, & eo nil habes vilius? Solent mercenarii diligentius in fine laborare, quando recipiendæ mercedis vident tempus appropinquare: sic & tu quodcunque potest facere manus tua, instanter operare. Esto semper paratus, quia qua hora non putabis, si- lius hominis veniet, vt secundum opera tua te iudicet, grandis non restat tibi via, seu vigiles, seu dormias, seu quidquam aliud facias, incessanter magis magisque morti appropinquas, cui vicinior es quàm putas. Tu igitur si sapias, tota vita tua mori discas, omni hora paratus, quasi eadem sine dubio esses moriturus: semper cogitabis te moriturum, quem scis necessariò moriturum: quantumcunque vixeris, tandem morieris. Quod si ita est, non est tibi valde curandum, quid accidat, vt moriaris, sed moriendo, quò ire cogaris: mortem enim nihil aliud facit aut bonam aut malam, nisi quod sequitur mortem: mors peccatorum pessima. Sanctorum verò in conspectu Domini mors est pretiosa: quam nobis præstare dignetur IESVS CHRISTVS Dominus & Deus noster.

Amen.

PRIMÆ PARTIS FINIS.

C 5

IN-

Nunc tempus pœnitentiæ, postea tempus retributionis & mercedis.

Tempus pœnitentiæ frustra non terendum. Similitudo.

Eccles 9.  
Luca 12.  
Quidquid agimus morti semper appropinquamus.

Moriendum est.

Psal. 35.

Psal. 115.





# INSTITVTIONIS PARAENETICAE

AD

## POENITENTIAM

SECUNDA PARS,

DE

RESTITVTIONE FACIENDA,  
QVOD NON DIMITTITVR PEG-  
CATVM, NISI RESTITVATVR  
ABLATVM.

### CAPVT PRIMVM.

De Resti-  
tutione  
facienda  
à quolibet.



iudicii fi-  
nalis sen-  
tentia.

Matth. 25.  
Luc. 10.

Secundo, non vis proximo sa-  
tisfacere, nec alienum, quod  
detines, restituere, dicisque:  
quia diues sum & locupleta-  
tus, & nullius egeo. R. Ne-  
scis frater charissime, quia mi-  
ser es, miserabilis & pauper, & cæcus & nudus.  
Considera, quod si Deus in finali iudicio iis,  
qui sua pauperibus non erogauerint, cum  
tanta ira dicturus est: Discedite à me maledi-  
cti in ignem æternum, qui paratus est diabolo  
& angelis eius: esuriui, & non dedistis mihi  
manducare: sitiui, & non dedistis mihi po-  
tum:



INSTITVT. AD POENITENTIAM. 43

tum: hospes eram, & non collegistis me: nudus eram, & non operuistis me: infirmus eram & in carcere, & non visitastis me. Cum quanta putas ira dicturus est: Esuciui & sitiui, vos autem cibum & potum meum abstulistis: nudus eram, & si quid mihi supererat, detra-xistis. De diuite illo epulone in Euangelio non legitur quòd iniuste bona acquisierit, sed tantum quòd immoderate & infructuose pro-priis vsus fuerit: & tamen in gehennæ igni-bus punitur. & guttam aquæ postulat, nec ex-auditur. Tu verò qui multa iniuste acquisi-uisti, quo modo saluaberis? nonne plus illo damnaberis? hinc collige, quanta damnatione plectendus es, qui rapuisti aliena, si tanta ani-maduersione feriuntur, qui indiscrete tenuerunt sua, perpende, ad quam dura te obliget res ra-pta, si illos tali subiicit pœnæ res propria non tradita: quid mereberis pro illata alteri iniuria, si tanta animaduersione digna est charitas, non impensa? Si damnandus est sui detentor, quam spem habeas alieni raptor? Si sterilitas in i-gnem mittitur, rapina quid merebitur? Si iu-dicium illi fiet sine misericordia, qui non fe-cerit misericordiam, quale tibi iudicium fiet, qui fecisti & rapinam? qui pauperibus aufers, quibus dare teneris, & qui de multorum spoliis vnus tegeris? in cuius delicias fames transit pauperum, & vnde illi esuriunt, tu sa-ginas ventrem tuum? Oppressi pauperes ad Dominum clamant in te vindictam, quibus fortis & zelotes Dominus retribuet vltionem.

Ve.

Propria in fructuose retinere ma-lum.

Augustinus. Si in ignem mittitur, qui non dedit rem pro-priam, vbi putas mit-tendus erit, qui inuasit rem alie-nam? Si cum Diabo-lo ardet, qui nudum non vestiuit, vbi putas arturus est qui expo-liauit?

Aliena non restituere pessimum est.

August.

Remota iu-stitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?



Veniet, veniet Dominus, & non tardabit, & in tempore vindictæ disperdet te.

Anima est  
valde pre-  
tiosa.

Omnis ani-  
ma aut  
Christi  
Sponsa, aut  
diaboli ad-  
ultera est.

Alienum  
rapiens, per-  
dit seipsum.

Esaiæ 33.  
Morientes  
omnia re-  
linquimus.  
Job. 20.

Corpori quidem tuo aut etiam amici tui si grauis quispiam morbus euenerit, eius incolumitatem omnibus ferè tuis bonis velles redemisse: nunc verò tua ipsius anima in æternam damnationem corrui, & pro salute eius tantillum alieni quod detines non vis restituere? Verè teipsum vili vendis, qui pro re aliena animam tuam perdis: non bene pro toto libertas venditur auro. Pecuniam pretiosiorrem facis quàm teipsum, cuius taxari non potest pretium. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis: & pretiosiorrem existimas pecuniarum congregationem, quam in sanguine Christi animæ tuæ redemptionem? Dum enim alienum rapis, tunc à diabolo raperis, & quamdiu id detines, à diabolo detineris. Retines aurum, & perdis cælum: iniuste rem detines alienam, & iuste caelestem tuam amittis hæreditatem: iniustum quidem lucrum, sed iustum damnum: lucrum in arca, damnum in conscientia: pereat mundi lucrum, per quod fit animæ damnum. Quid tibi proderit, si vniuersum mundum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris? quid proderit, si totum quod extra te est congregas, & hoc ipsum, quod es, damnas? Væ qui alios prædaris, nonne dum consummaueris prædationem, deprædaberis? diuitias quas deuorasti, euomes, & de ventre tuo extrahet eas Deus. Cùm in morte dormieris, nihil tecum auferes: aperies oculos tuos, & nihil in-

ue-



uenies. Nudus in mundum venisti, nudus de mundo recedes: diuitiæ nec tecum sunt natæ, nec tecum sunt transituræ. Nam velut dum diuitis cuiuspiam accumbis mensæ, multa vasa aurea & argentea apponuntur, quorum tantummodo vsum habes: quæ si præ stultitia tua esse existimares, & tecum auferre velles: id non permettereris, sed forsitan vt fur in carcerem detrudereris. Ita & tu nihil in mundum intulisti, nec quidquam inde poteris auferre: inops natus es in hac vita, inops recedes de hac vita. In mortis articulo, tua in tres partes diuidentur: corpus quod tam sedulo curas, dabitur vermibus: anima, de qua postrema tibi cura est, rapietur à daemonibus: bona temporalia (quæ ex scelere & iniustitia congregas) relinquentur hæredibus: aut ingratissimis, aut prodigis, qui laboribus tuis, imò iniustitia tua fruentur, & pro iis in gehennæ torquere tormentis, dum ipsi interim erunt in voluptatum deliciis, hic tuis fruentur bonis, dum in inferno summis excruciare malis: de adepta hæreditate tua gaudebunt, de qua iniuste acquisita in æternum dolebis, hic ridebunt, illic interim flebis. Futuri tamen sunt etiam illi in tormentis tibi consortes, nisi ea, quæ per te ablata nouerunt, restituant; ex eorum in pœnis consortio nulla tibi erit consolatio, sed quia iis fuisti causa damnationis, pro eorum damnatione amplius damnaberis. Vis hæredibus tuis tibi charissimis damnationis author esse, & ex eorum damnatione damnationem tuam augere? si tui non te miseret,

falsè

Iob 27.  
Diuitiæ in morte relinquantur.  
Chrysolomus de diuitiis.

Omnia bona mundi triplex interitus tollit, aut ex seipsis veterascunt, aut luxu Dominorum suorum consumuntur, aut extraneis dolore vel violentia, vel calumnia diripiuntur.

Similitudo valde pulchra.  
Nostra bona in tres partes morituri diuidimus. Hæredes de bonis auarè delicias. Hæredum damnatio pro iniusta hæreditate.



Hæredes vel  
amici no-  
lunt simili-  
ter restituere,  
quæ iniuste  
acceperunt à suis.  
Hæredum  
ingratitude.

saltem longæ posteritatis tuæ miserere, & nati natorum, & qui nascentur ab illis, damnabuntur, nisi alienum cognitum tale, abs te quasi per manus traditum restituant, sed quî fieri poterit, vt quod à maioribus suis acceperint, post tot annos restituere velint, cùm tu totius mali author, id nolis restituere, cuius fuisti raptor? fortè tantum diligent ea bona, quæ ipsis reliqueris, quantum & tu ea prius dilexeris, si per eorum restitutionem è pœnis deberes euadere, ne sic quidem ea vellent restituere, nec mirum, si alii ea plus diligent, quàm alterius animam, cum & tu ea plus diligas quàm animam tuam.

Raptorum  
mors præ-  
matura.

Raptorum  
pœna &  
cruciatus.

Quot tibi similes ditari in hoc mundo conati sunt, & tamen in adeptis diuitiis diu manere nequiuerunt? quibus repentina mors repente & simul abstulit, quidquid eorum nequitia nec repente nec simul congregauit: qui non solum rapta hic reliquerunt, sed etiam ad Dei iudicium causas rapinæ detulerunt: reliquerunt diuitias malè acquisite & inuenerunt pœnas non quæsitæ: eorum corpora in sepulchro corroduntur à vermibus, & animæ in inferno torquentur à dæmonibus. Sic & tu multa iniuste acquisita apud te detines, quæ quoniam breui morieris, forsitan non expendes: tamen de iis reddes Deo rationem, tandemque æternam subibis damnationem: nihil tibi proderit, imò plurimum oberit inter tormenta, quòd hic possederis ea bona. Sed ecce, omnipotens Deus iniquitates iudicans,  
prio



priores illos iam ad iudicium vocauit, te adhuc ad pœnitentiam expectat, & vt conuertaris, te adhuc sustinet ac tolerat: in illos iam iudicium suum exercuit, sed ne cum illis animam tuam perdat, patientiæ suæ longanimitatem tibi prorogauit,

Tu tamen semper in peccato mortali manes, imò peccatum tuum quotidie magis magisque adauges. Nam quotiescunque apud te cogitas, quòd inuito domino alienum occupas, & adhuc occupare & non reddere proponis, toties nouum peccatum mortale committis. Nunc apud te diligenter considera, quot ratione hac commisisti peccata. Sæpius ex quo alienum apud te detines, de peccatis quidem tuis confessus es: Sed nulla confessio peccata tua deleuit, sed ea magis magisque cumulauit. Augustinus: Si res aliena propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur: si autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Dum molestum quempiam habes creditorem, suam ei festinas refundere pecuniam: das ei quod habes, & ab aliis mutuas, si sat non habes: times ne si eum differas vltorius, ipse tibi pergat esse molestus, & te in carcerem detrudendum curet, aut te apud homines diffamet, pœnam temporalem metuens continuò satisfacis, & animæ pœnam perpetuam paruifaciens satisfacere negligis? O miser & præposteri iudicii homuncio! times sæculi errores, & non times inferni dolores?

Aggrauatio  
Peccati ra-  
tione diu-  
turnæ de-  
tentionis.

Confessio  
fit de alie-  
nis bonis  
malè partis,  
& non fit  
restitutio,  
ergo male  
vt hic  
Augustini  
sententia.

Creditor  
molestus.

Ita-



Restituens  
alienum,  
se à diabolo  
eripit.

Hæredita-  
tem cæle-  
stem recu-  
perat.

Itaque, frater charissime, bona peritura abs-  
te abiice, & alienum, quod iniuste detines, vero  
Domino redde, proximo sua restitue, vt Deo  
restituaris: redde, vt reddaris: ne tandem &  
bona temporalia perdas: & animæ tuæ æter-  
nam damnationem inuenias. Nunquam per-  
uenies ad cælestem beatitudinem, nisi restituas  
vsque ad nouissimum quadrantem. Regnum  
cælorum tibi à Domino promissum prius non  
habebis, quam proximo tuo quod suum est re-  
stitueris: per hoc peruenies ad propria, si in-  
tegrè reddideris aliena.

Seneca de  
fama.  
Male au-  
tem de te  
opinantur  
homines,  
sed mali.  
Moueret, si  
de me Ma-  
rius, si Cato,  
si Lælius sa-  
piens, si al-  
ter Cato, si  
Scipiones  
duo ista  
loqueren-  
tur. Moue-  
ret, si hoc iu-  
dicio face-  
rent, quod  
nunc mor-  
bo faciunt.  
Conscia  
mens recti  
vulgi men-  
dacia ridet.  
Displicuisse  
bonis non  
est infamia  
parua.

QVOD IS APVD HOMINES  
TIMERE NON DEBET CONFV-  
SIONEM, QVI APVD DEVM  
VULT INVENIRE  
GRATIAM.

CAP. II.

**A**T dixeris, Si in integrum restituerò, &  
aliis plenè satisfecero, pauperior fa-  
ctus, non potero pristinos sumptus fet-  
re & tolerare, nec tantam vt prius clientelam  
alere: vnde aliis diues vt prius non apparebo:  
quod si fieret, qualis de me in populo sermo  
esset? omnibus certè essem ridiculus. R. Ma-  
lè de te loquentur homines, frater charissime,  
sed mali tantum: qui plerunque eos in sub-  
fannatione habent, quos imitari deberent, &  
qui virtutem, quam non sectantur, vituperant,  
vitia verò, quæ amplectuntur, collaudant, si id  
recto iudicio facerent, & non potiùs animi vi-  
tio,



tio, recte deberes moueri. Vera illa laus est, non ab illaudatis, sed à viris laudatis collaudari.

Displeuisse  
malis su-  
spicione  
caret.

Verùm obstinationi tuæ concedamus, quòd etiam bonis viris futurus sis ridiculus: Ne sic quidem debes hominum fabulis & irrisionibus deterreri, & à iustitia auocari; non enim de gehennæ ignibus hominum fabulæ te liberare poterunt, sed tantùm Dei timor atque iustitia te inde liberabunt. Seu lauderis, seu vitupereris, ad mentem semper recurre. Si in ea non inuenis bonum, de quo laudaris, miserandus es magis quàm mirandus: si in ea non inuenitur malum, de quo vituperaris, in Domino tibi est gaudendum, & de aliorum subsannatione parum curandum. Quid enim, si homines laudent, & conscientia accuset? aut quæ debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia te liberum demonstrat? Gloria nostra (inquit Paulus) hæc est, testimonium conscientia nostræ. Item Iob, Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis. Iudiciis hominum cur moueris, qui stare supra te Deum iudicem noueris? si tibi est testis in cælo, testis in corde, stultos foris loqui quod volunt, dimitte.

Conscientia  
mille testes,  
Ambrosius.  
Tantus  
splendor  
honestatis  
est, vt vitam  
beatam  
efficiat tran-  
quillitas  
conscientia  
& securitas  
innocentia,  
Gloria no-  
stra est hæc,  
conscientia  
hona.

2. Cor. 1.

Dum coram hominibus gloriam quæris, placere ei, qui te de cælo conspicit, negligis: si hominibus vis placere, Christi seruus non potes esse. Quid vilius? quid esse potest abiectius, quàm apud homines seruare gloriam & honorem, & ante supremi Iudicis oculos non timere confusionem & ignominiam? Plus seruire vis hominum oculo, quàm Deo: plus ti-

Vana apud  
homines  
gloria.  
Plus amat  
peccator  
vanam ho-  
minum glo-

D

mes



riam, quam  
perpetuam  
Dei laudem.  
Sepul-  
chrum de-  
albatum  
volunt qui-  
dam videri;  
Foris serui  
Dei, cum in-  
tus sint ser-  
ui diaboli.

Chrysoft.  
Quicumque  
desiderat  
primatum  
caelestem, se-  
sequatur  
humilita-  
tem terre-  
strem; non  
enim qui  
maior, sed  
qui iustior,  
ille maior.

Vana apud  
homines  
gloria quam  
labilis est.

Adulari  
pesimum,  
Hieronym.  
in epist.  
Non est di-  
gnum, vt in-  
de exigas  
honorem,  
vnde refu-  
gis laborem.

mes humanam verecundiam, quam Dei offen-  
sam: plus amas laudem extrinsecam, quam  
intrinsicam mentis pacem & conscientiae pu-  
ritatem. Apud homines vis videri nitidus,  
cum apud te sis foetidus: foris vis videri di-  
ues, cum intus sis pauper: foris plenus, in-  
tus vacuus: foris vestitus, intus nudus: foris  
comptus, intus sordidus: foris dominus, intus  
seruus: foris seruus Dei, intus seruus diaboli: foris  
homo, intus brutum: foris sanctus, intus exe-  
crabilis & Deo exosus. Si gloriam concupisceres  
in caelis, opprobrium non timeres in terris: v-  
nusquisque vbi quaerit gloriam, ibi timet con-  
fusionem. Quid tibi proderit, si te continuis  
laudibus totus mundus extollat: cum malam  
conscientiam non sanet laudantis praeconium,  
nec bonam vulneret conuiciantis opprobrium?  
Quid tibi post mortem proderit mundana glo-  
ria, si in inferno, vbi eris, ignominiose torque-  
beris, & in mundo, vbi non eris, laudibus ex-  
tolleris?

Stultum tibi est tui pretium de hominum  
opinionum opinione metiri: quibus in manu est  
simul atque ipsis placuerit, hoc ipsum honoris  
quod largiuntur, rursus auferre, ac te modò  
honestatum dehonestare, quoniam in eorum  
labiis gloriam tuam posuisti, modò magnus  
eris, modò paruus, modò nullus: secundum  
quòd adulantum linguis placuerit, te vel vi-  
tuperare, vel laudare, gloria fugit eam sequen-  
tem, & sequitur eam fugientem. Vnicus ho-  
nor, & homini Christiano expetendus, est, non  
ab hominibus, sed à Deo collaudari. Si hu-  
ma-







*Carnis vilis.* citia plenum? quamlibet pretiosis vestibus induatur caro, quid aliud est quam caro? id est, quam sperma foetidum, quam saccus stercoreum, quam esca vermium? caro resoluitur in putredinem, putredo in vermem, vermis in puluerem. Quid foetidius humano cadauere? quid terribilius mortuo homine? cuius erat in vita gratissimus amplexus, fit in morte grauisimus aspectus. Lutum es ex ipsa origine, fauilla ex vitae breuitate, & cinis ex mortis conditione: sicut ignis stupam velociter redigit in fauillam, sic mors te cum tua gloria citò rediget in cinerem.

*Corporis humani vilitas & nuditas. Vestes erubescendam tegunt nuditatem.* O si attentè perpenderes, quid secundum corpus tuum es, de pretiositate vestium statim erubesceres: & vestimenta haberes non ad decorem visionis, nec ad mollitiem aut delectationem carnis, sed ad tegumentum nuditatis. Nam sicut soli pro veste sufficit splendor sui luminis, & rosæ, ornatus sui candoris: ita & ante peccatum homo non indigebat vestimento, sed ei sufficiebat propria pulchritudo. Per peccatum verò deuenit in turpitudinem, & nuditatis suæ erubescendum: vnde vestimento opus habuit, vt ea tegeret, non vt inde superbi- ret. Non habes igitur in vestimentis tuis materiam gloriandi, sed potius occasionem erubescendi: sicut nec cedit ad gloriam loripedis, quòd pedem habeat ligneum, qui ei tantum est ad infirmitatis suæ supplementum. Qui superbis ex pretiositate vestimentorum, es velut ægrotus superbiens ex varietate medicamentorum. Cum saccus boni frumenti, competi-

peten-



petenter ligatus sit fune vnus oboli: & ad ligandum vasa vini pretiosi, sufficient lignei circuli: non modica stultitia est ad ligandum ventris tui vas immunditiis plenum, aureum aut argenteum appetere cingulum. Exterioris hominis ornamenta quantò plus appetuntur, tantò sunt interioris hominis maiora detrimenta: vicissim quantò magis contemnuntur, tantò sunt interioris hominis maiora ornamenta. Qui superba vestimenta requiris, cogitationes humiles habere nequis.

Si pretiosarum vestium luxus culpa non esset, nequaquam Dominus de vestis asperitate præcursorem suum laudasset: nequaquam tam expresse exprimeret, quod diues, qui apud inferos torquebatur, purpura & bysso induebatur: nequaquam Paulus Apostolus per epistolam scēmas à pretiosarum vestium appetitu prohiberet, dicens: Non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa. Perpende igitur, quanta culpa sit te virum hoc appetere, à quo curauit pastor ecclesiæ etiam scēmas prohibere. Non enim Dominus honestatem corporis, sed pulchritudinem requirit mentis.

Lucæ 7.

Lucæ 16.

1. Tim. 2.

Augustinus.  
Non affectis placere vestibus, sed moribus,

Pretiosas istas vestes, velis nolis, in morte relinques, nudus egressus es de vtero tuæ matris, nudus etiam illuc reuerteris: solus transibis in illo tramite, sola opera seu bona seu mala sequentur te: vbi tunc erunt vestes tuæ pretiosæ? vbi affectarum turbæ? vbi famulorum frequentia? aderitne eorum aliquis, qui

Famulorum frequentia in morte relinquitur.



Mors æquo  
pede omni-  
um fores  
palliat,  
et sceptris  
ligonibus  
æquat.

Matth. 20.

Gratia Dei  
hominum  
rumoribus  
præferenda.

te eripiat de manu Dei viuentis? qui te è la-  
queo venantium eximat, & qui te saluum fa-  
ciat? Quid tunc ex eorum dominio lucraberis?  
an quia hic multorum Dominus extiteris, illic  
à Rege regum, & Domino dominantium quid  
plus habebis? Deus qui nullam personam ac-  
ceptat, omnia opera æqua lance examinat: re-  
gem non præponit pauperi, nec pauperem  
postponit regi: quinimo secundum vniuscui-  
usque opera sua, vnicuique merces est con-  
stituta: illic fiunt nouissimi primi, & primi no-  
uissimi.

Itaque, frater charissime, Deum time, &  
homines non timebis: nec committas, vt dum  
hominum vis captare fauorem, Dei incurras  
offensam: vt dum hominum vis placere ocu-  
lis, apud Deum & teipsum sis execrabilis. Non  
te à restitutione facienda vanus hominum ru-  
mor arceat, Dei timor omnem humanam ve-  
recundiam à te abigat. Longè præstat homi-  
nibus displicere, vt Deo placeas: quàm homi-  
nibus placere, vt Deo displiceas.

QVOD DEI GRATIA TEMPO-  
RALIBVS BONIS EST  
PRÆFERENDA.

CAP. III.

Raptores  
sæpius sunt  
egeni.

**A**T dixeris: Si in integrum restituero, tan-  
dem pauper & mendicus fieri pertime-  
sco. R. Imò audeo dicere, frater cha-  
rissime, quòd, iuxta illud Prouerb. 24. Qui  
dat pauperi, non indigebit: qui despicit depre-  
can-



cantem sustinebit inopiam. Si ipse sustinebit pauperiem, qui despicit deprecantem pauperem: tantò magis ipse pauperiem sustinebis, qui indigenti pauperi sua detrahis. Male enim disperit, quod est malè partum: nec vlli cui etiam rapina fœliciter cessit, gaudium duravit in postremum. Alii diuidunt propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori & egebit. Nam plerunque, dum quis multa acquisiuit, in gulam & luxuriam totus diffluit, & malè acquisita peiùs expendit: quæ longo tempore congregauit auaritia, modico tempore consumunt gula & luxuria: aut etiam aliqua aduersitas sæpe interuenit, quæ longi temporis labores in momento eripit.

Malè partum peius dilabitur.

Prouerb. II.

Prouerb. 22.

Si iactaueris cogitatum tuum in Domino, ipse te enutriet: & si dignè ei inseruieris, omnia necessaria adiiciet, & sperantem in se non derelinquet. Qui sic fecit hominem, vt egeat alimento, non patietur eum perire necessaria subtrahendo. Cùm enim Dei bonitas passerulos benignè & pascat & vestiât, putas quòd hominem pium eique fidentem destituat? nonne qui homini maxima & cœlestia promittit, minima & terrena ei præstabit? qui tibi dedit longè his maiora, tibi etiam dabit minora. Necessitati pauca sufficiunt, vita breuis est: quid tanto tibi opus est viatico ad breuem hanc peregrinationem tuam conficiendam? longa tua desideria increpat breuis via: incassum multa portantur, dum propè est, quòd pergitur: vi-

Spera in Domino, & ipse te enutriet.

Seneca.  
Si ad naturam viues, nunquam eris pauper, si ad opiniones, nunquam eris diues:



Exiguum  
natura de-  
siderat, opi-  
nia immen-  
sum.

Diuitiæ ve-  
ræ sunt vir-  
tutes.

Math. 29.

Christianus  
terrena de-  
bet vilipen-  
dere.

Boni qui  
vult habere,  
bonus stu-  
deat esse.

tæ tuæ cursum considera, & cognosces tibi  
sufficere pauca.

Verum esto, frater charissime, vt si alie-  
num restitueris, pauper & mendicus futurus sis.  
Si vt Deum lucreris, omnia temporalia ami-  
seris, an pauper & inanis remanebis? maiora  
iis Deus tibi dabit, quia seipsum, qui & ista  
creauit. Nunquid fidem? nunquid pietatem?  
nunquid interioris hominis bona amittes, qui-  
bus ante Deum anima efficitur diues? imò co-  
ram Deo in bonis operibus diues efficieris, &  
centuplum accipies, & vitam æternam possi-  
debis. Abundantes bonis temporalibus, ple-  
rumque carere solent spiritualibus, aut certè  
minùs cæteris abundare. Verus Christianus in  
comparatione bonorum spiritualium, quæ spe-  
rat, omne aurum sicut arenam deputat: ei  
Christus vnicum est gaudium, qui in cælis fu-  
turus est præmium. Ambient terrena genti-  
les, quibus cælestia non debentur, concupiscant  
præsentia, qui non credunt futura: bona pe-  
ritura possideant, vt cum iis in æternum pere-  
ant. Esse quidem sine delectatione anima  
non potest, aut enim cælestibus delectatur, aut  
terrenis: quântò acriori studio ad terrena ex-  
ardescit, tantò maiori tempore ad cælestia fri-  
gescit; neque enim oculus simul & cælum &  
terram potest conspicerere.

Sed quid prodest plena arca, si inanis est  
conscientia? bona vis habere, & bonus non  
vis esse? bonos vis habere cibos, vestes, seruos,  
denique bona omnia, & solam vitam malam?

Vi-



Vitam tuam illis præpone, illa omnia tibi chara sunt & pulchra, tu solus tibi es vilis & fœtidus. Si esse vis Dominus tot bonorum, fac ut ea te quoque bonum habeant dominum. Sed bonus esse non potes, nisi ea restituas, quæ iniuste detines: melior est bona vita, quam possidere bona multa. Bona temporalia in tantum bona sunt, in quantum ad usum virtutis proficiunt: si verò iste modus excedatur, ut virtutis usus impediatur, iam non inter bona, sed computanda sunt inter mala. An enim bona aliena quæ iniuste detines, tibi bona putabis, propter quæ malus es? ea ne tibi bona putabis, quæ æternis te subiiciunt malis? Quæcunque huius mundi bona sunt, cuius sunt dona nisi Conditoris? sed placere tibi non debet donum Dei, quod per delectationem sui separat te ab amore Dei. Ne data danti præferas: & dum bona percipis etiam malus, unde crescere in eius amore & timore debueras, inde ab illis longius abeas, & vilissimam creaturam plus diligas quam Creatorem: cui debes totum quod es, & totum quod habes: qui & fecit te, & bene fecit tibi: qui quæ tibi dedit, auferre tibi potest cum voluerit: qui corpus & animam in gehennam potest detrudere, & bona tua temporalia aliis erogare. Tu verò pecuniam pro Deo tuo colis, qui eam plusquam Deum diligis: nisi pecuniam plusquam Deum diligeres, pro ea Dei gratiam & amorem perdere nolles. Avaritiæ tuæ plus obedis, quam Deo, in quo pecuniam habere videris pro Deo tuo; vnum obolum plus diligis, quam Deum:

D 5

quia

Deus super  
omnia dili-  
gendus.

Pecuniam  
pro Deo  
colere.



quia pro lucro vnus oboli transgredieris præcepta Dei. Prohibet Dominus, ne fureris, & hoc non facis. Iubet auaritia, vt fureris, & hoc potius facis. Iubet Deus, vt vestias nudum, & id omittis: iubet auaritia, vt rapias alienum, & hoc potius exequeris,

Quo plus  
sunt potæ,  
plus sitiun-  
tur aquæ.

Diuitiarum  
custodia  
angit.

Diuitias aliter non habes, quam quis compeditus habet compedes quibus plus videtur seruire, quàm eas habere. Non parum enim apud te angeris, dum tua concupiscenti fatigatione perpendis: quo modo concupita dolo rapias, aut alia blandimentis, alia terroribus auferas, quibus vigiliis & laboribus alia tibi acquiras: quantò ampliùs acquiris, tantò ampliùs quæris. Nam si ligna addideris igni, vnde videtur ad momentum flamma comprimì, inde paulopòst cernitur magis dilatari: sic nec auaritia tua lucro extinguitur, sed inflammatur: & dum quo iure quaque iniuria multa congefferis, & satiatus desiderium tuum expleueris, qui priùs ex abundantia requiem sperabas, postea ad adeptorum custodiam grauiùs laboras: nec ea minori custodis timore, quàm eadem acquisiisti labore. Insiutatores metuis, & quod aliis fecisti, ab aliis pati pertimescis. Si vides te ipso potentiorem, violentum formidas esse prædonem: si concupiscis pauperem, suspicaris furem: & qui in aduersis sperabas prospera, iam in prosperis formidas aduersa: sicque huc & illuc quasi quibusdam fluctibus volueris, & varia rerum vicissitudine apud te vexaris.



Tu Christianus, pauperis Christi discipulus, & ad cælestes Paradisi diuitias vocatus, bona hæc temporalia (quæ miseram animam tuam plus anxietate torquent, quàm vsu suo refrigerant) tanquàm magnum quid admiraris, & in his fœlicitatem tuam constituis? & in terra, in qua peregrini more, pro diebus nouissimis habitas, totum cor tuum totàmque affectionem tuam collocas? Dum transitoria appetis, dum æterna vel non intelligis, vel intellecta contemnis: tam profundè in bonis terrenis iaces, vt nil nisi terrena cogites: teipsum ad quæ proiectus es, deseris, & vice patriæ diligis exilium, quod pateris: & in cæcitate quam toleras, quasi in claritate luminis exultas: peregrinationis tuæ subsidia, in peruentiois conuertis obstacula: & nocturno lunæ lumine delectatus, claritatem diurni solis videre refugis; & vitæ transeuntis fauorem in mortis perpetuæ vertis occasionem.

Temporalia  
obsunt, quò  
minus in  
cælum per-  
ueniamus.

Nónne viator ille stultus est, qui in itinere amœna prata conspiciens, obliuiscitur ire quò tendebat? Si haberes ius dominandi super breui aliqua terra, quamdiu eam equo velocissimo pertransires, an ius perpetuò regnandi in magna aliqua patria pro illo transitorio dominatu perdere velles? sed quid aliud est præsentis vitæ tempus, quàm continuus ad mortem cursus: in quo nemo vel paululum stare, vel tardiùs permittitur ire? quid est ipsum viuere, nisi incessanter ad mortem currere? quantò ampliùs viuis, tantò ampliùs ad mortem accedis: quantum transit de  
tua

Vita nostra  
cursus est  
ad mortem.



Episto-  
mum dolii,  
vinum  
transfun-  
dens.

Senec. 24.  
epist.  
Quotidie  
morimur,  
quotidie  
enim demi-  
tur aliqua  
pars vitæ,  
& tunc  
quoque cum  
crefcimus,  
vita de-  
crefcit.

tua vita, tantum appropinquat mors tua. Sic  
ut enim dolii fronte vinum incessanter effun-  
dente, dolium magis magisque euacuatur, nec  
tamen ante vltimum stillicidium, vacuum dici-  
tur: sic per quædam temporum stillicidia, minu-  
tim exhauritur tua vita: nec tamen ante vlti-  
mum vitæ momentum, corpus tuum dicitur  
mortuum: in media vita iam es in morte, &  
seu vigiles, seu dormias, moreris assidue. Quo-  
tidie moreris, quotidie commutaris, & tamen  
æternum te esse credis? Facile omnia conte-  
mnit, qui se aliquando moriturum cernit: si  
bona hæc peritura crederes, ad animæ tuæ sa-  
lutem ea redderes. In morte dolens videbis,  
quam vile & nihilum fuerit quod amaueris.

Itaque, frater charissime, Dei gratiam bo-  
nis temporalibus præpone: illam vt lucreris,  
hæc amitte. Redde quod debes: redde, quæ  
sunt proximi, proximo; & quæ sunt Dei, Deo:  
quæ huius mundi sunt, sic tene, vt ab iis non  
tenearis: sic terrena posside, vt ab iis non  
possidearis: sic transi per bona temporalia, vt  
non amittas æterna: sint tibi temporalia in  
vsu, æterna in desiderio: illa amittere potes  
inuitus, hæc nunquam amittes, nisi voluntarius:  
fit tibi mundus pro peregrinatione, cælum pro  
quiete patriæ.





QVOD DEO NON PLACET  
ELEMOSYNA, DE RAPINIS  
A RAPTORE EX-  
HIBITA.

CAP. IV.

**A**T forsan dixeris, Fateor quidem, quòd iniuste aliena detineo, tamen de iis multas eleemosynas facio: detentis in carcere mitto, nudos vestio, & peregrinos suscipio. R. Nil proficis, frater charissime, si alterum inde reficis, unde alteri iniuriam facis: dare te putas, & nihil tuum das. Tolle-re noli, & dedisti. An in hoc te iustificari existimas, si de substantia pauperum exiguam eleemosynam facias: & de eo, quod à pluri-bus abstuleris, vni quidquam minimum largia-ris? Cibatur vnus, unde plures esuriunt: & de multorum spoliis vix pauci teguntur. Ille cui dedisti, gaudet, ille cui abstulisti, luget: ille pro te orat, hic verò à Domino contra te vin-dictam clamat: vtrum istorum exauditurus est Dominus? Timendum tibi est, ne maledicen-tem exaudiat: sicut ipsemet testatur Dominus. Iudex (inquit) quidam erat in quadam ciuita-te, qui Dominum non timebat, & homines non verebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum dicens, vin-dica me de aduersario meo, & nolebat per multum tempus: post hoc autem dixit intra se, Et si Deum non timeo, nec hominem ve-reor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam. Et subiungit Dominus: Au-dite,

Ambrosius.  
Hoc est oc-cidere ho-minem, vi-tæ suæ ei subsidia de-negare, ca-ue, ne inter loculos tuos inclu-das salutem inopum, & tanquam in tumulis se-pelias vitam pauperum. Idem in of-ficiis.  
Beatus pla-ne, de cu-ius domo nunquam vacuo sinu pauper exi-uit.

Eleemosyna de rapto nil iuuat.  
Impreca-tiones pau-perum spo-liatorum.

Lucæ 18.



dite, quid rex iniquitatis iudicat, Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte & patientiam habebit in illis? dico autem vobis, quia citò faciet vindictam illorum.

Eleemofynam de rapto Dominus respuit.

Isaia 61.

Ecclesi. 34.

Vides, quòd talem Deus non quærit eleemosynam, nec vult vni de alterius crudelitate præstari pietatem; nec vult aliquid violentè auferri alicui, quod misericorditer exhibeat alteri: eleemosyna illa à Deo non suscipitur, quæ ex illicitis & iniustitia congeritur, sed ea tantùm quæ de rebus à iusto possessore datis, aut iustè acquisitis impenditur. Hinc est, quod sacrificia de rapina & scelere oblata per Prophetam Dominus reprobat, dicens: Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Quod & per Salomonem insinuat, dicens: Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Hoc sacrificium quanta ira Deus videat, ostenditur: quod dolori patris super morte filii comparatur: quid autem esse potest intolerabilius, quàm ante oculos patris occisus filius? Tu verò qui violentè exquiris, quod misericorditer Deo largiaris: quanta Deo tribuis, pensas, & quanta rapis, considerare dissimulas: & quasi mercedem tuam numeras, culpam verò tuam perpendere recusas. Tua, imò aliena das Deo, te verò diabolo. Vanalem Dei iustitiam æstimas, si dum pro rapina tua Deo nummos tribuis, te impune rapere posse arbitraris, imò & Deum peccati tui facere conaris socium, vt cum  
liber



libenter acceperit oblatam sibi eleemosynam ex peccato, ipse consentiat in peccato tuo. Aliud esse scias pro peccatis misericordiam facere, aliud pro facienda misericordia peccare: si misericordia nuncupari potest, quæ per interiectam nequitiam rapinæ, bona confundit misericordiæ.

His amplius quanquam aliena non rapuis-  
ses, tibi ne licere putares ea inutiliter seruare, quæ multis possent prodesse: quorum à celesti patre familias non Dominus, sed dispensator es constitutus? dum necessaria indigentibus ministras, sua illis reddis, non tua largiris: iustitiæ debitum potiùs soluis, quàm misericordiæ opus exequaris. Alioqui tot penè quotidie perimeres, quot morientum pauperum subsidia retineres. Tu verò dum Domino Deo tuo tibi omnia danti aliquid minimum in suis pauperibus reddis, proximo à te oppresso de sua iniuria abunde satisfactum arbitraris? Non sunt alicui inferenda mala iniustitiæ, vt aliis exhibeas opera misericordiæ. Quanquam pauperibus multa erogaueris, tamen furti priùs absolutus non eris, quam proximo tuo suum reddideris.

Quòd si verus Dominus aut mortuus est, aut ignotus: eiusque hæredes ignorantur, & adhibita diligentia non inueniuntur: tunc temporis sua ei restituere debes in bonis spiritualibus, quando id facere nequis in temporalibus: & in eius nomine, Christo (cuius est terra & plenitudo eius) in suis pauperibus id debes erogare: quibus quicquid feceris, Deus acceptat quasi

Eleemosyna de iultè possessis eroganda.

Hieronymi in epist. Pars sacri legii est rem pauperum dare non pauperibus; laudent re esurientium viscera, non ructantium opulenta conuiuia.

Restitutio- nis faciendæ modus.

Psalm. 23



Inuenti re-  
stitutio,

Augustin.

quasi ei feceris. Sed ne rem quidem inuen-  
tam, retinere debes tanquam tuam: duntaxat  
si probabiliter credis, quòd Dominus eius eam  
non habeat pro derelicta, id est, si testalis sit, vt  
vel per se, vel per alios, eam Dominus eius digne-  
tur quærere. Augustinus, Quod inuenisti, &  
non reddidisti, rapuisti: qui alienum negat, si  
posset, & tolleret: Deus cor interrogat, non  
manum.

Itaque, frater charissime, ne posthac te in  
hoc iustificari existimes, si ex rapinis tuis quic-  
quam pauperibus eroges? si vni violenter au-  
feras, quod alteri misericorditer exhibeas. Ho-  
stia impiorum sunt abominabiles, quæ offe-  
runtur ex scelere: illam eleemosynam Deus  
comprobat, quam quis de bonis suis iustè ac-  
quisitis erogat.

## SECUNDÆ PARTIS CONCLUSIO.

Furtum  
peccatum  
est pericu-  
losissimum.

Alienum est  
restituen-  
dum.

**O**R hæc & multa alia, quæ in hanc senti-  
entiam dici poterant, planè vides, fra-  
ter charissime, inter omnia peccata  
nullum esse periculosius, quam alienum reti-  
nere: quòd de aliis peccatis citò quis pœni-  
tere possit, sicut de homicidio cessante ira, de  
fornicatione cessante carnis concupiscentia, &  
sic de aliis: in hoc verò peccato non sic. Non  
enim sufficit conteri, & Sacerdoti confiteri, sed  
vt dimittatur peccatum, oportet restitui abla-  
tum, quod difficulter fit, & non sine magna  
animi molestia. Sed quia Deum diligere de-  
bes



bes super omnia, & plusquam teipsum: quæ nocitura tenes, quamuis sint chara, relinque. Relinque alienum, quod non potes retinere, ut consequaris cælum, quod non possis amittere: relinque modicum, ut accipias centuplum: relinque rem perituram, ut adipiscaris æternam. Temporalia aut relinques moriendo, aut te relinquent pereundo: agendum ergo tibi est, ut dum restituas res perituras, non perentem mercedem tibi acquiras.

Noli id differre vsque in mortis articulum, nescis enim, an tunc de rebus tuis disponendi habebis spatium: nescis etiam, an qui nunc restituere potes, & non restituis, tunc voles restituere, & id non poteris, quia forsan morbus te omni pecunia exhauferit, & te multis nominibus debitorem reliquerit. Quod si etiam tunc restitueres, non tamen tantum meriti apud Deum haberes, quàm si nunc viuus & valens id faceres. Nam quam habeas apud Deum restitutionis mercedem, si ea tum demum restituis, quando amplius retinere nequis? si iis satiatus alii ea inceperis impendere, quando in voluptatibus tuis ea desueris expendere? quando ea relinquent te, non tu ea relinques? qui si semper vixisses, semper ea detinuisse? Melius tamen est tardè restituere, quàm nunquam: & licet apud Deum non sit tanti meriti serotina illa restitutio, quàm si facta esset in tempore opportuno, eam tamen Deus libenter accipit, nec eam irremuneratam relinquit.

Restitutio  
in mortem  
non differenda.

Melius est  
tardè restituere, quàm  
nunquam.

E

Ita-



66 INSTITVT. AD POENITENTIAM.

Augustin.  
Si potes  
dare, da:  
Si non po-  
tes, affabi-  
lem te fac.  
Coronat  
Deus intus  
bonitatem,  
vbi non in-  
uenit facul-  
tatem.  
Nemo di-  
cat, non ha-  
beo: chari-  
tas de fac-  
culo non  
erogatur.  
Damna sunt  
refarcienda.  
Pauper re-  
stituere ne-  
quiens.

Itaque nihil obftet, quò minùs proximo  
sua nunc integrè restituas, tametsi ad id neces-  
se sit, vt omnia tua vendas. Iamdudum si vo-  
luisses, forsitan restituere valuisses, & nunc ob  
id pauperior non esses: quia successu tempo-  
ris ea abliguristi, & tua aliorumque bona ex-  
pendisti. Nunc dum sanus es, & habes, vnde  
restituas, alteri sua restituere ne differas: si in  
aliud tempus distuleris, forsitan soluendo non  
eris, quia non solùm debet reddi, quod iniuste  
ablatum est: sed etiam omnia damna, quae  
proximus passus est ex bonorum suorum caren-  
tia. Quòd si nunc non patitur paupertas, vt  
alienum integrè restituas: saltem nunc restitue,  
quod potes: & adsit tibi firma voluntas, reli-  
quum restituendi, dum aderit facultas. Si ve-  
rò pauper es, & aliis multa debes, ne sic qui-  
dem desperes. Deus enim, qui vult omnes sal-  
uos fieri, te ad impossibile noluit obligari: tan-  
tùm tibi doleat, quòd tamdiu aliena detinuisti,  
& habe propositum proximo, dum poteris, sa-  
tisfaciendi: & tuum hunc restituendi affectum  
reputabit in restitutionis effectum I E S V S  
CHRISTVS Dominus & Deus  
noster. Amen.

SECUNDÆ PARTIS FINIS.

IN





# INSTITVTIONIS PARAENETICAE

AD

## POENITENTIAM

*TERTIA PARS,*

DE

VENIA INIMICIS DANDA.

QVOD DEVS NON DIMITTIT NO-  
BIS DEBITA NOSTRA, NISI PRIVS  
DIMITTAMVS DEBITO-  
RIBVS NOSTRIS.

### *CAPVT PRIMVM.*



Tertio non vis parcere illi, qui te  
offendit, & quem iam offendisti:  
imo statuisti illatam tibi ab ipso  
vlcisci iniuriam. R. Imprimis  
attendendum tibi est, frater cha-

rissime, quòd in qua mensura alteri mensus Matth. 7.

fueris, remetietur etiam tibi: hæc quoque ti- Debita sua  
aliis dimit-  
tenda.

bi est à Deo imposita regula, vt sicut tibi vis  
dimitti peccatum tuum, ita & proximo dimit-  
tas peccatum suum. Debes, & debetur tibi:  
Dei in plurimis grauibúsq; peccatis debitor  
es, & fratrem in paucis leuibúsq; iniuriis de-  
bitorem habes. Ecce, quam benignam faci-



lemque conditionem offert Dominus: nempe vt dimittas, quod debetur tibi, & quod debes, dimittetur tibi. Alioqui nullo modo tibi ignoscerentur quæ peccares, si te ad ignoscendum inexorabilem præstares: & frustra sperares parcendum peccatis tuis, nisi prius parceres alienis. Nam licet Deus pacis & totius consolationis, possit sine hoc tibi omnia peccata tua dimittere, volens tamen pietatis & mansuetudinis occasionem tibi ministrare: considerat erga proximum charitatem & misericordiam tuam, vt pro ea tibi rependat charitatem & misericordiam suam. Vnde præcipit, Et cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester, qui in caelis est, dimittat vobis peccata vestra: quod si vos non dimiseritis, nec pater vester, qui in caelis est, dimittet vobis peccata vestra. En, vides, quod vt apud Deum peccatorum tuorum consequaris misericordiam: non necesse tibi est maria transfretare, nec longi itineris peregrinationem subire, nec montium excelsa conscendere, nec pecuniam impendere, sed Dominus Deus, qui mauult inuenire, cui det veniam, quam cui infligat pœnam: in tua ponit potestate qualem suam erga te prouoces sententiam, & quomodo districti sui iudicii euadas seueritatem.

Parcere  
aliis cur  
Deus præ-  
ceperit.

Matth. 11.

Parcendi  
benigna  
conditio.

Donec in hac vita manes, sine peccatis esse non potes: ideoque tam benigna conditio tibi est amplectenda, vt dimittendo peccata aliena ipse diluas tua: vt ab alio offensus eidem ignoscas, si tibi à Deo ignosci desideras: vt proximo leuem culpam condones (leue enim est

quic



quicquid homo peccat in hominem) vt tibi tot  
 culparum millia condonet, Dominus. Nulla  
 commodior est ratio, qua post offensam recon-  
 ciliaris Deo, quàm si tu offensus reconciliaris  
 fratri tuo: si quæris multitudinem magnitu-  
 dinemque Dei miserationum, tu quoque mi-  
 sericordiam tuam magnifica, & multiplica er-  
 ga proximum tuum: vt præstans misericordiam,  
 consequaris misericordiam. Nam cum Deus  
 nullius indigeat, omnique peccato prorsus ca-  
 reat: tamen infinitam suam iniuriam remittit  
 seruo suo: quantò ergo magis tu, qui remis-  
 sione indiges, & mille peccatorum reus es, le-  
 uem tuam iniuriam remittere debes conseruo  
 tuo? tu verò qua fronte tibi vis à Deo igno-  
 sci peccata tua, & proximo tuo non vis di-  
 mittere sua? vis Deum in te exercere suam  
 misericordiam, & in proximum tuum exerce-  
 re vis seueram iustitiam? Excusatio nulla tibi  
 erit in die iudicii, quia secundum sententiam  
 tuam iudicaberis, & quod alteri fecisti, hoc &  
 ipse patieris: iudicium tibi fiet sine misericor-  
 dia, qui proximo tuo non facis misericordiam,  
 quo supplicio dignus non eris, qui in tanta  
 facilitate consequendæ apud Deum misericor-  
 diæ, ipse salutis tuæ proditor extiteris?

Deus igno-  
 scit seruis  
 suis.

Dimitte nobis  
 debita  
 nostra, &c.

Dominus noster IESVS CHRISTVS,  
 dum orandi formulam nobis præscriberet, &  
 nos orare doceret, paternam misericordiam  
 promisit, sed planè legem addidit: vt scilicet  
 sic nobis debita nostra dimitti postulemus, se-  
 cundùm quod ipsi debitoribus nostris dimitti-  
 mus. Imò sciens, quia omnis homo mendax:



Psalm. 115.

qui si peccatorum suorum remissionem prius acciperet, postea debitoribus suis non dimitteret: iussit ut prius iis sua debita dimittamus, quàm ab eo nostra dimitti postulemus. Illud à te exigit iudex, quem rogas, ut fratri tuo

Math. 6.

sis talis, qualem eum tibi postulas: dum pacato corde oraueris dicens, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Tu verò cum qua spe oras, qui inimitiam aduersus alterum seruas? sicut enim ipse orans mentiris, dicens, Dimitto aliis sua debita, & ea ipsis non dimittis: sic & à Deo petis debita tua tibi dimitti, & non dimittuntur tibi: petis indulgeri, & non indulgetur. Tale enim est, ac si dicas, Noli mihi dimittere peccata mea, quia nec volo aliis dimittere sua:

Tripliciter  
reus dicens,  
dimitte nobis,  
&c.

dum apud Deum (qui mentem potiùs quàm verba considerat) talem orationem fundis, tripliciter reus efficeris. Primò quia mendaces, & Deum decipere conaris: dum debita tua tibi ab eo dimitti quæris, sicut te debitoribus tuis dimittere dicis: & tamen iis nihil dimittis, nihil parcis, & in nullo ignoscis. Secundò, quia tametsi Deo hoc non promitteres, tamen fratri tuo sua debita dimittere deberes. Tertiò, quamuis id facere non deberes: tamen quia à iudice admonitus non acquiescis, iram contra te exasperas iudicis. Quam quæso iam habeas spem salutis, si eo tempore quo Deo supplicas, eumque tibi propitium cupis, ipsi maiorem irascendi occasionem ministras? Velut si hominum quispiam, ut sui misereris, supplex exposceret, & inter supplicandum,

Inimicus  
inter oran-  
dum visus,

suum



suum forte videret inimicum: tibi que supplicare desinens in eius cædem totus irrueret, nonne maiorem quam prius iracundiam tuam in se concitaret? eiusne miserendum putares? hoc etiam Deo euenire similiter opinare.

At dixeris, posthac igitur dominicam orationem non dicam, aut certè hanc conditionem (sicut & nos dimittimus debitoribus nostris) omittam. R. Nisi, frater charissime, sic oraueris, vt docuit Christus, non es Christi discipulus: qui hanc composuit orationem, ipse est qui exaudit eam: si conditionem hanc prætermiseris, Christus orationem, quam composuit, non agnoscet, atque apud se protinus dicet: Scio, quid admonui, non est ista oratio, quam feci.

Oratio dominica dicenda.

Itaque, frater charissime, si vis tibi à Deo dimitti peccata tua, proximo tuo dimitte sua: non solum ore, sed etiam corde: non ficta pace, sed sincera dilectione: sic vt nec opere exerceas vindictam, nec corde reserues inimitiam. Omne odium ex animo excute, & inimicum tuum ex intimo corde dilige. Quoniam autem probatio dilectionis, exhibitio est operis: idcirco semper ei benefacies affectu, eidem optando bona gratiæ & gloriæ: eidem etiam optando bona naturæ & fortunæ, in quantum ei possunt ad salutem prodesse. Effectu quoque eidem benefacies, tempore & loco, maximè in iis, quæ ad animæ suæ salutem spectabunt.

Ore & corde dimitendum.

Inuandus inimicus.



QVOD NULLVM BONI OPERIS  
FRVCTVM FACERE QVIS POTEST,  
QVAMDIU A PROXIMO PER  
IRACVNDIAM DIS-  
CORDS EST.

## CAP. II.

**C**VM mala omnia bonis sequentibus diluantur, magna ut sint mala discordiæ necesse est: quæ nisi funditus extincta fuerint, bonum opus subsequi non permittunt: scriptum enim est, Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Ex hoc præcepto eorum culpa maxima esse monstratur, quorum hostia repellitur. O quantum malum est discordia, propter quod & illud abiicitur, per quod culpa relaxatur: discordantis munus non suscipitur, eius oratio non exauditur. Ecce à discordantibus sacrificium non vult accipere Deus, plus diligens hominum concordiam, quàm suum honorem. O admirabilem Dei nostri benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem: honorem suum despicit, dum in proximo charitatem requirit: mauult hominum mutuum amorem, quàm ab iis sibi impendi debitum honorem. Nemo inter duos inimicos potest esse fidelis amborum amicus: ideo nec Deus vult esse amicus fidelium, quamdiu inter se mutuum fouent odium: quamdiu Christiani inter se sunt ini-

Matth. 5.

Odium gra-  
ue pecca-  
tum.

Concor-  
diam amat  
Dominus.

mici.



mici. Is vt duriozem tibi imponat reconcilia-  
tionis necessitatem, non dixit, Si habes ali-  
quid aduersum fratrem tuum: (id enim alte-  
ri dimittere, volenti esset facile) sed dixit, Si Math. 5.  
frater tuus habet aliquid aduersum te: vade  
scilicet mente, voluntate, humiliq̄ue subiectione  
ad eum, quamuis longè positum & longè  
disiunctum, sicque prior ei reconciliare hoc  
animo, vt dum eum præsentem habebis, illa-  
tam iniuriam beneuolentia compensabis: quod  
homini irato, cui iræ suæ passio plerunq̄ue iu-  
sta videtur, multò est difficilimum.

Frater autem tuus aduersum te nihil ha-  
bet: imò aduersus fratrem tuum odium ha-  
bes intestinum, quod ei facile dimittere pos-  
ses, & reconciliari si velles. Verùm cum his Euchari-  
stiam indi-  
guè mandu-  
cans.  
inimicitiiis, non solùm orationis munus Deo  
offerre præsumis, sed etiam ad dominici cor-  
poris communionem accedis, ac mitissimum  
illum agnum pacificum, pacisque amatorem,  
in cor tuum ferocissimum inimicitiiis æstuans  
demittere præsumis. Sacrosancta illa altaris  
mensa odio à fratre suo dissidentem non de-  
bet suscipere: sed omni felle, omnique care-  
re debet amaritudine: non es dignus corpora-  
li pane, quo vesceris, & illum panem Angelo-  
rum manducare præsumis? bene tibi esse non  
potest, malè accipienti quod bonum est: non  
potes in temetipso habere vitam, cui sumptio  
vitæ afferat mortem. Diligite (inquit Domi-  
nus) inimicos vestros, benefacite iis, qui ode-  
runt vos, & orate pro persecuentibus & ca-  
lumniantibus vos. Cui igitur, frater charis-  
sime,

E s

sime,

Math. 5.Inimici di-  
ligendi.



sime, poteris esse malus, qui inimicis tuis præcipieris esse bonus: sed & proximum odis, cui ne extraneum quidem odisse conceditur: fratremque persequeris, cui etiam inimico bene facere præcipitur. Pro eo iuberts orare, & contra eum audes Dominum rogare? & Christianum te esse dicis, qui Christi præcepta non custodis?

Oratio imprecatoria.

Marci 12.

Offensæ dilatae gignunt odium, ex odio homicidium

Nec tibi ad supplicii cumulum satis est, quòd Christi præcepta ipse transgrederis, sed eum quoque, vt id faciat, precaris. Iubet Deus, vt diligas inimicum, & Deum rogas, vt occidat eum: qui sic oras, ipsis tuis orationibus contra Deum pugnas, qui omnem aduersus inimicum præcepit dimitti iracundiam. Cùm stas (inquiens) ad orandum, dimittite, si quid habetis in cordibus vestris. Tu verò eum inuocas, vt præceptis suis faciat contraria: tantum abest, vt ea quæ postulas, faciat, vt etiam maligna illa verborum iacula in teipsum retorqueat: & malo, quod alteri imprecaris, dignus efficiaris. Viuit adhuc qui maledicatur; & tu qui ei maledicis, iam de ipsius morte reusteneris: quando enim nequens persequi ense, persequeris oratione. Si dum misericordiam à Deo postulas, ne tunc quidem iram tuam remittas, sed valde malitiæ tuæ recordaris, quando quæso effici misericors poteris? Quamdiu istas inimicitias nutris, nulla oratio, nulla tibi ad salutem prodesse potest operatio: sed singulis horis, imò singulis penè momentis, peccata addis peccatis: dum iniuriæ tuæ memor eam proximo non dimittis, sed in eum vleisci proponis.

Si



Si omnis, qui fratri suo irascitur, reus erit iudicio: quantò magis iudicio reus eris, qui odium intestinum contra eum nutris? Si irasci fratri suo non est fas, aut dicere racha, aut fatue, multò minus inimicitias in animo retinere contra eum, & indignationem conuertere in odium.

aliaque peccata pullulant.  
Matth. 5.

Itaque, frater charissime, sol non occidat super iracundiam tuam, sed ne de festuca trabem facias, animamque tuam homicidam: quam celerrimè poteris, fratri tuo reconciliare, ipsique iniuriam tuam dimitte: quinimò pro inimico, qui persequitur & calumniatur te, orandum tibi est, vt eius à Domino obtineatur conuersio, aut in te diuinæ bonitatis inueniatur imitatio: & cuius execraris iniquitatem, optare debes salutem, vt sis filius patris tui, qui in cælis est.

Eph. 4.

Orandum pro inimicis.

## QVOD NON LICET PERCVSSO REPERCVTERE PERCVSSOREM.

### CAP. III.

**A**T dixeris, læsit me, idque grauissimè, non ego illum: homo est nequam, & indignus cui ignoscatur: malletm mori, quam illatam mihi ab ipso iniuriam non vlisci: respondebo stulto iuxta suam stultitiam. R. Imprimis, frater charissime, quid tibi proderit, si percussorem repercuties? numquid propterea restituetur, quod in te læsum est? si alterius oculum eruis, tuum non recuperasti, sed cum membro

Proverb. 26.  
Repercutere nocet percipientem.



bro etiam patientiam perdidisti, & plus tibi secundum animam, quam ei secundum corpus nocuisti. Diabolus vulnera procurat corporum, propter vulnera animarum: non reperiens ab homine quidem victus videris, sed diabolum vicisti, & membrum quidem amisisti corporis, sed patientiae meritum acquisuisti. Si inimico pepercideris, plus tibi quam ipsi pepercisti: non tam tuum damnum, quam patientiae considera lucrum. Sin reperiens, & damnum corporis passus es & salutis: nec tantum laederis, dum ab inimico percuteris, quam dum reperiendo a patientia excidis. Dum foris inuictus esse cupis, intus grauius vulneraris: dum foris defendis parua, intus amittis maxima: tunc maxime vinceres dum committere non vis, vt vincaris, quia irae succumbis affectibus, & dominari nequis tuis passionibus.

Christus  
non reperiens  
cuffit.

Exod. 21.

Matth. 5.

At dixeris, dignus ille est, qui reperiens  
tiatur. R. Esto ita, frater charissime, sed  
tu dignus non es, qui reperiens, quia il-  
lius es discipulus, qui non reperiens  
cuffus. Qui etiam veterem illam legem  
abrogans, animam pro anima, oculum pro  
oculo, dentem pro dente, manum pro ma-  
nu, pedem pro pede, adustionem pro adu-  
stione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore;  
mox subiunxit: Ego autem dico vobis, non  
resistere malo: sed si quis te percusserit in  
dexteram maxillam tuam, praebere illi & alte-  
ram. Quam legem ipsemet obseruans, pro  
omnium



tibi omnium salute paratus fuit non solum in alteram maxillam cædi, sed etiam in toto corpore crucifigi, vt suo prouocatus exemplo percutienti potius alteram maxillam exhiberes, quàm percussus repercuteres: imitatores enim sui magistri esse debent discipuli, & tu repercutere vis percussorem, cui potius alteram iuberis exhibere maxillam?

An forsan tibi videtur, quòd si repercuteris eum, compescuisti eum, ne te percutiat amplius? Imò magis excitasti eum, vt adhuc percutiat: nam iracundia per iracundiam non compescitur, sed amplius irritatur: accepta iniuria per vindictam non tollitur, sed propagatur. Quis enim tandem mutuarum iniuriarum finis erit, si suam quisque iniuriam pergat vindicare? crescunt vtrinq̃ inimicitia, inualefcunt odia, & incrudescit dolor. Quòd si tibi iniuriam intulit, ad superiorem recurrito, iure cum eo agito: legitimam non habes potestatem sic in eum animaduertendi.

Repercutere excitat ad vindictam.

Si iuste percussit te: non ipsi, sed tuæ irascere iniquitati: quia non tuam personam, sed tuam persecutus est culpam. Propter peccata tua id tibi contigit, pro correctione tua id tibi euénit; peccasti, nec tamen condignam peccatis mercedem recepisti: minùs læsus es quàm merebaris, & pro crimine minor fuit retributio vltionis: secundùm meritum tuorum peccatorum dispar tibi est causa pœnarum: non fuerunt tibi tanta supplicia, quanta tua extiterunt peccata. Peccantem

Punire iuste.



tem voluit reprimere, tuum erat disciplinam gratanter acceptare, & hanc pœnam in satisfactionis peccati tui partem deputare. Iam peccaueras, dum peccati pœnam tibi intulit, & denuo peccasti, dum ex illata pœna patientiam tibi abstulit. Ipsi igitur ignosce, tibi soli ne ignoueris: te enim non persequeretur, nisi à Domino permetteretur: vel propter aliquid in te puniendum, aut maius gaudium inde percipiendum: vt per ipsum aut malus corrigaris, aut bonus exercearis. Si puer discretionem haberet, matris virgam odio non haberet, quam in manu suâ pro bono suo mater tenet.

Punitus iniuste.

Quòd si inimicus te iniuste offendit, aut quia innocentem, aut quia tui non habet potestatem, aut alia quam de causa: forsitan multò grauius aliàs eum offendisti, nec tamen summo iure in te ultus est, sed illatam sibi iniuriam patientiùs tolerauit, alter alterius debet onera portare, & aliorum infirma tolerare. Semel quidem te offendit, sed quoties à te aliàs offensus est? ipsi parce, sicut & tibi pepercit, vt tuo prouocatus exemplo delinquenti tibi aliàs parcat ipse. Aut forsitan aliquando tibi non parum profuit: ingrati certè est animi, tot tantorumque eius erga te beneficiorum obliuisci, & vnus iniuriolæ reminisci.

Sed concedamus tibi, quòd nunquam eum offenderis, & quòd ab eo nihil vnquam beneficii acceperis: indignum certè est, vt alienam vlciscaris improbitatem, te fieri improbiorem: & vt alienam punias iniustitiam, te nouam ad-

mit-



mittere iniquitatem. In te quidem peccavit, sed talia sunt quæ à Deo tibi poscis remitti, & multò maiora: quantò maiorem tibi intulit offensam, tantò maiorem tibi attulit occasionem, non solùm peccatorum tuorum remissionis, sed etiam magnæ apud Deum consequendæ mercedis. Quòd si omnes essent perfecti, quid tunc haberes ab aliis pro Deo perpeti? Si volueris, nullus tibi oberit, sed & inimicus tuus maximè tibi proderit, si modò iniuriam tuam in eum ultus non fueris. Primò peccatorum tuorum remissionem hinc assequeris, magnam apud Deum mercedem, mansuetudinem, iræ & tristitiæ immunitatem, denique Dei & hominum amorem, idque adeo, vt capitales tuos inimicos tibi facturus sis peculiare amicos. Sæpe inimicus tibi plus prodest, quàm tuus amicus: ille enim dum peccatorum tuorum te arguit, ad ea fugienda te compellit: patientiæ tibi ministrat materiam, humiliter de te sentiendi occasionem. Hic verò dum per adulationem in te etiam criminosa laudat, ad eadem iteranda te stimulat: & dum te ab eo laudari audis, vanæ gloriæ tibi fit occasio vel erroris.

At indignus est (inquis) inimicus meus, cui ignoscatur. R. Itane, frater charissime, tu indignus eras, cui toties tot tantasque suas abs te iniurias ignosceret Deus? Quid eras, dum pretiosam animam suam pro te poneret? nonne inimicus? Quid de ipso merueras, vt tibi ignosceret? Creator creaturæ suæ ignoscit, & tu peccator non ignosces peccatori? Si quoties Deum

Inimici  
profunt iu-  
stis.

Sæpe ini-  
micus plus  
prodest,  
quàm ami-  
cus.

Indigni su-  
mus quibus  
ignoscat  
Deus,



Deum offendisti, in te vltus esset, si multorum magnorumque debitorum tuorum partem aliquam abs te exegisset: iam à multis annis periisses, & in inferno arderes. Qua benignitate Dominus Deus te quotidie tolerat vetera peccata iterantem? qua misericordia etiam grauissimè offensus ad se recipit reuertentem? qua liberalitate etiam peccatis tuis offensus sua abs te non subtrahit beneficia? Serue nequam, omne debitum dimisit tibi Dominus, quoniam rogasti eum: nonne ergo oportet etiam temiseri conserui tui, sicut & Dominus Deus tuus misertus est tui? Si igitur indignus est inimicus tuus, cui ignoscas, & beneficium pro maleficio rependas: saltem dignus est ipse Christus, pro quo id facias: apud quem meruisti, vt sic puniaris, tametsi apud inimicum tuum non meruisti, vt ab eo affligaris. Flagellantur enim boni ab omnium iudice Deo, malorum hominum ministerio: quibus velut tortoribus ad iustitiam suam prosequendam vtitur contra reos suos. Et sicut pater post filii castigationem virgas in ignem proiicit, sic & Deus noster omnium pater malos, quibus in hoc sæculo vtitur ad filiorum castigationem, castigatis filiis detrudet in gehennam, & filiis suis pro persecutione retribuet vltionem: quod se facturum promisit, Mihi (inquiens) vindictam, & ego retribuam.

Nonne inimico tuo condignam retribuit vltionem, dum ei pro hac tua iniuria suam subtrahit gratiam? dum iram suam super eum immisit, aternisque suppliciis eum adiudicauit?

que

Matth. 18.

Iusti per  
iniustos à  
Deo flagel-  
lantur.

Rom. 12.

Iniquus  
iniquitate  
sua satis pu-  
nitus;



quæ ipsi meritò infligeret, si impœnitens ex hac vita decederet: non tam igitur ei est irascendum, quàm eius est miserendum. Notandum; Quantumcunque inimicus tuus in te sæuiat: melior est iusta tua tristitia iniuriam ferentis, quàm ipsius iniusta lætitia eam inferentis. Quòd si per Dei gratiam eum illatæ tibi iniuriæ pœnituerit: aut si quando (vt certè necesse est) eum contingat pœnitere: & ex his malis, in quibus pro te positus est, emergere, o quam dolorosa contritione, quam verecunda confessione, & quam laboriosa satisfactione ei opus est? hæc pœna vel ipsum districtissimum placat iudicem, quamlibet grauitè offensum, & te non placat vilem vermiculum? quod vltionum Dominus districtissimè vindicauit, crudelitas tua adhuc ferire proponit? Non est seruus supra Dominum, nec discipulus supra magistrum, nec homo supra Deum: conseruum, condiscipulum, & fratrem tuum in iustitia sua corripuit Dominus; & tu qui in eadem damnatione es, murmuras, eiusque sententiæ non acquiescis, sed tibi in tua causâ iudicium adhuc restare credis?

Forſitan illum iam pœnituit, & pœnitenti Dominus pepercit: & ei parere non vis? Iusto homini inimicus. quem Dominus absoluit, adhuc persequeris? & debitum, quod Dominus remisit, adhuc exigis? Fratri tuo pœnitenti Deus factus est amicus, & tu ei adhuc es inimicus? tu ei vis nocere, & Deus vult ei bene esse? Dei videris inimicus, qui eius operibus es contrarius. Quid irascendum



cundus iste & vindictæ appetens animus tuus tibi prodesset, si hodie, vt fieri potest, te mori contingeret? nunquid in inferno sepultus superstiti inimico tuo noceres, & iniuriam tuam vindicares? imò de te vltus esset grauissimè, quòd sui odium æternis pœnis in te esset vindicatum: quòd interim dum in tormentis esses, hic potiretur Dei gratia, in caelo etiam potiturus eius gloria.

Qui patitur  
vincit.

Nota,

Itaque, frater charissime, vt inimicum tuum verè diligas, læsus ne lædas, & contumeliis vicem ne reddas. Eum qui te offendit, ne oderis, & tibi detrahenti ne detraxeris. Gloriosius tibi est iniuriam patièdo vincere, quàm vlciscendo eam superare. Iniuriam igitur, siue iustè, siue acceptam iniustè, fer patienter: memor quòd pro peccatis tuis plura & grauiora merueris.

QVOD EXEMPLO CHRISTI  
DV RV M ESSE NON DEBEAT,  
PROXIMO PARCERE, QVO-  
TIES PECCAT.

CAP. IV.

**A**T dixeris, Non semel quidem me offendit, nisi aliàs me sæpius offendisset, nunc parcerem: nunc adhuc me odit & persequitur. Quis quotidie, talia posset perpeti? R. Quoties frater charissime, in te peccauerit frater tuus, vt ei toties dimittas, præcipit Dominus: Ad quem Petrus accedens dixit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittis?

Matth. x8.



dimittam ei? usque septies? Dicit illi IESVS,  
 Non dico tibi, usque septies, sed usque septua-  
 gies septies. Ecce numerum finitum pro in-  
 finito ponit Dominus, quasi diceret, Quoties  
 frater tuus peccauerit in te, toties ei dimitte.  
 Quantumcunq; & quotiescunq; in Deum pec-  
 catur, toties ex animo contrito veniam roga-  
 tus miseretur: & graue tibi videtur vili vermi-  
 culo, si ignoscas fratri tuo? homo leuem tibi  
 intulit iniuriam, & durum tibi videtur, si ab  
 ipso non exigas vindictam? Si frater tuus septu-  
 agies septies in te peccauerit, ei ignosce: etiam  
 si centies, denique quoties peccauerit, ignosce.  
 Quoties in te peccare potest, toties peccanti  
 fratri dimittes: si quoties ipse peccaueris, to-  
 ties tibi à Christo ignosci volueris. Si frater  
 tuus odit te, tu nihilominus eum ne oderis: &  
 si persequitur te, tu ne eum persequaris: sed  
 contra eum tibi arma assume patientiæ, non  
 furoris: vt si vult perire, solus pereat ipse: tu  
 tantùm ne damnationis te ipsi socium addide-  
 ris, sed fac, quod in te est, vt saluèris.

Quoties  
 quis peccat,  
 toties est ei  
 ignoscen-  
 dum.

Contra per-  
 secutores  
 arma pa-  
 tientia tan-  
 tùm sumen-  
 da sunt.

Odiùm est  
 maximum  
 tormen-  
 tum.

Nil iniuria-  
 rum me-  
 moria diffi-  
 cilis.

At durum est (inquis) quotidie hæc per-  
 ferre, quotidie parcere, & ira accensum ani-  
 mum refranare. R. Imò, frater charissime,  
 durius & difficilius est odia & inimicitias re-  
 tinere, quàm dimittere: labor quidem in di-  
 mittendo nullus, in retinendo verò multus:  
 iracundia liberari magnam menti reddit quie-  
 tem, faciliusque est iniurias obliuisci, quàm  
 reminisci, iniuriarum memoriâ nihil difficilius:  
 quòd si magnum quodpiam malum tibi im-  
 precari vellem, odia & inimicitias tibi opta-



Nota de  
odii vitio.  
Ad iracun-  
dos homi-  
nis.

rem. Nam sicut tinea primum omnium quod rodit, est lignum, de quo exit: sic & iracundia cor hominis, de quo nascitur primum lædit, cruciat, & angit. Satis per se inquieta est mens tua, & eam adhuc odiis exasperas? multa aliunde tibi occurrunt aduersa, & aliis te adhuc oneras, quantumcunque laboraueris, vix in te metipso pace frueris. Familiarem hostem, id est, carnalem tuam concupiscentiam prius supprime, quam exteris bellum pares inferre, quod si non omnes, quos pateris, aduersarios opprimere velles, iterum alii insurgerent, & prius succumberes, quam omnes opprimere posses. Vide iam, vtrum horum tibi videtur facilius, inimicitias retinere, an dimittere?

Christus  
crucifixori-  
bus peper-  
cit.

Dimittere inimicitias vt viro humili leue est & facile, ita & tibi omnium hominum superbissimo durum est & difficile. Si Christi passionem in memoriam reduceres, nihil est adeò durum, quod non æquo animo perferres. Non tibi in mentem venit, quanto duriora Dominus pertulerit, dum pretiosam animam suam pro te exponeret: quot & quanta conuiciorum probra à Iudæis pertulerit? quot insultantium alapas acceperit? quot flagella tacitus tolerauerit? quam patienter à perfidorum sputis faciem non auerterit? quam mansuetè diuinum illud caput spinis suppositum erit? quam placidè in sua siti fellis amaritudinem gustauerit? & quam feruenter ipse, omnium vita, vsque ad mortem deuenit? Sed quis? à quibus tam dura est perpeffus? creator à creaturis, Deus ab homunculis, pater à filiis.



filiis, rex à subditis, Dominus à seruis, omnium  
 bonorum largitor ab ingratis, quo quid  
 esse potuit intolerabilius? Tamen flagellis cæ-  
 sus, spinis coronatus, clavis confossus, crucifi-  
 xus, opprobriis saturatus, omnium dolorum  
 suorum immemor: à quibus patitur, ipse com-  
 patitur, à quibus vulneratur, ipse medetur, vi-  
 tam procurat, à quibus occiditur. Quando  
 cum magna mentis dulcedine, spiritus deu-  
 tione, & charitatis plenitudine, dulcissimum  
 tranquillissimumque illud diuini agni pectus  
 non solum parcit inimicis, sed etiam patrem  
 rogat pro eis, Pater (inquiens) ignosce illis, Lucæ 23.  
 quia nesciunt, quid faciunt. Hinc considera  
 multas miseras corporis, hinc multas miseri-  
 cordias cordis. Vide diuinæ charitatis afflu-  
 entiam, & mirabilem patientiam: tolerat, quos  
 poterat punire, & in abyssum demergere: se Ioan. 5.  
 vlcisci non vult ipse qui iudicat, & cui pater  
 omne iudicium dederat: sed suam remittit in-  
 iuriam, pro ipsis fundit orationem, & non ex-  
 petit vltionem: suæ nobis patientiæ relinquens  
 exemplum, vt sequamur vestigia eius, vt scili-  
 cet quoties ab aliis offendimur, ad patientiam,  
 non ad vindictam excitemur. Nam si magi-  
 ster, dum occiditur, inimicos suos diligit, quan-  
 to magis eos debet diligere discipulus, dum vi-  
 uit? Tu verò vilis vermiculus & pulvis fœti-  
 dus, cum videas regem gloriæ, Dominumque  
 virtutum suas condonantem contumelias, &  
 crucis remittentem molestias: tamen dum in-  
 iuriis aut aliqua læsione prouocaris, statim fu-  
 rore permotus teipsum vlcisceris: atrociores



Voluntas  
reputatur  
pro facto.

iniurias reddis, quàm acceperis: facis mala, quæ potes, minaris, quæ facere non potes, & dum foris aut non potes aut non audes iniuriam tuam vindicare, adhuc tamen intus inimicitias æstuas, & frustra teipsum, non inimicum crucias. Sicut enim bona voluntas cum deest copia agendi, remuneratur, ita & maleuola tua voluntas ultionem moliens mulctatur: quia non tam consideratur quod fecisti, quàm quod, si licuisset, facere voluisti.

Coniugia  
toleranda.

Itaque, frater charissime, impatientis animi tui obstinationem inflecte ad misericordiam: & Domini Dei nostri vestigia sequendo durum tibi non sit toties peccanti fratri ignoscere, quoties in te potest peccare, vt & peccatorum, quæ quotidie in Deum committis, remissionem quotidie assequaris: vt dum proximo remittis parua & leuia, tibi à Deo remittantur magna & grauia. Si enim verè poenites, ad perferendas iniurias paratus esse debes: nec vlllo modo commoueri, si quis tibi obiiciat crimen peccati tui.

### TERTIÆ PARTIS CONCLUSIO.

**O**B hæc & multa alia, quæ in hanc sententiam dici poterant, planè vides, frater charissime, in quàm damnoso statu manes, quamdiu istas inimicitias contra proximum tenes. Vt igitur ad vitam sanctam resurgas, si quid habes erga proximum tuum, dimitte, & dimittetur tibi: quòd si ei non di-

mi-



miseris, tua tibi à Deo dimitti frustra speraueris: talem experieris Dominum, qualis fueris erga conseruum tuum. Ei qui qualibet de causa læserit te, dimittendi habes potestatem, imò necessitatem: si autem in Deum aut proximum tuum peccauerit, tui non est arbitrii dimittere, sed vt legitimè puniatur, debes procurare, non maleuola voluntate, sed ea qua pater filium corripit quem non potest odisse. tu verò econtrario in Dei & proximi tui iniuria benignus es, in tuis verò contumeliis odia exerceas. In quo planè ostendis, quòd nec Deum nec proximum tuum diligis. Nec mirum, si non diligas Deum, quem videre non potes: cum diligere non possis proximum tuum, quem vides, quem si prior offendisti, prior reconciliare ei: si est inimicus, esto ei beneuolus, vt tibi fiat amicus. Imò etiam si prior læsit te, velis autem in iustitia perfectus esse: offensus præueni offendentem, vt duplicem apud Deum consequaris mercedem: vnā quia passus es iniuriam, alteram, quia inimicum tuum prior inuitas ad concordiam. Sed plerunque reconciliari appetis, verum ex superbia ire ad satisfaciendum prior erubescis. Perpende, quid ad eruditionis nostræ exemplum dicat Paulus, pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Ecce, inter nos & Deum discordiam peccando fecimus, & tamen Deus legatos suos prior ad nos mittit, vt nos qui peccauimus, cum Deo ad pacem veniamus. Erubescat igitur superbia tua, nisi proximo

Nostra iniuria toleranda.

Dei & proximi iniuria non toleranda.

Consilii est, non præcepti.

Nota.

1. Cor. 5.



prior satisfacias: cùm vt sibi reconciliemur  
per legatos suos obsecret Dominus noster IESVS  
CHRISTVS, qui est super omnia  
Deus benedictus. Amen.

TERTIÆ PARTIS FINIS.

# INSTITVTIONIS PARAENETICAE

AD

## POENITENTIAM.

QVARTA PARS,

DE

### PECCATIS SACERDOTI CONFITENDIS.

QVOD PECCATVM DIMITTIVR,  
SI QVIS CONTRITO CORDE  
ID CONFITEATVR.

CAPVT PRIMVM.



Varo non vis peccata tua confiteri  
timens, ne si ea confitearis Sacer-  
doti, cui hactenus vir bonus &  
honestus visus es, posthac pecca-  
tor videaris, sicque ei appareat tua hypocrisis.  
R. Imprimis, frater charissime, exemplum tibi  
propono tale. Latro quidam coram Rege fu-  
ratur, in latrocinio suo deprehenditur, & fur-  
tum suum tamen manifestum fateri non vult;  
vnde morti adiudicatus, ad suspendium liga-  
tus

Latro in  
furto à Rege  
deprehen-  
sus.



tis manibus & pedibus, velatisque oculis ducitur. Rex tamen misericordia motus, latroni dicit, Amice, te, vt scis, in ipso deprehendi furto: tu tamen veritus, ne à me existimeris latro, obstinatè peccatum tuum, cuius sum testis oculatus, mihi negas. Ecce, pro eo ad suspendium duceris: tamen vt bonitas mea malitiam tuam vincat, tui miserebor, te morti eripiam; si modò peccatum tuum agnoueris, dicens: Peccaui, Domine, & malum coram te feci. Quid tibi videtur tam facile oblata conditione latroni faciendum? nonne tunc peccatum suum agnosceret? Nonne Peccaui diceret? quòd si ita obstinato esset animo, vt mallet ad suspendium duci, quàm peccatum suum agnoscere & dicere, Peccaui: nonne sententiæ latæ seueritatem in eum Rex exercendam curaret, & latro pro sua obstinatione vitam suspendio iure finiret?

Tu verò ille ipse es sceleratissimus homicidio, qui coram Deo (cuius oculis omnia nuda & aperta sunt, & in cuius conspectu omnia tua sunt) grauissimè peccasti, in operibus manuum tuarum comprehensus es peccator. Et quia stipendium peccati mors, & anima, quæ peccauerit, ipsa morietur: idcirco æternæ mortis contra te lata est sententia. Et dum mala tibi imminetia, quæ præsentem perturbant latitiam, præuidere refugis, clausis oculis ad inferni patibulum vadis: nec alieno ferro, sed tua ferrea voluntate iniquitatibus tuis constringeris. Velle tuum tenet diabolus, vnde catenam tibi fecit ferream, qua te arctissimè con-

Hebr. 4.

Psalm. 118.

Psalm. 9.

Rom. 6.

Ezech. 18.

Peccator ex  
insperato ad  
infernum  
tendens.



strictum, ad inferni trahit patibulum. Sed ecce, conclusit Dei pietas impietatem tuam; te peccantem conspicit, & sustinet: resistentem tolerat, & tamen ad confessionem te quotidie vocat, per Prophetam suum tibi dicens: Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor: reduce me in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes, vt iustificeris. O quàm facili & leui conditione se peccatorum tuorum non recordaturum pollicetur Dominus: nempe si tu ea reduxeris in memoriam, narrauerisque ad tuam iustificationem. Tantummodo peccatum tuum agnosce, & ignoscat: ipsi per vocem confessionis detege, & teget: aperiri, & operiet: reuela, & velabit. Praueniens iram districti iudicis, contra te sauias verbis tuæ confessionis: præoccupata faciem eius in confessione, sine qua nulli parcat, qui eum offenderit. Tibi ipsi iratus te sine moderatione accusa, & ori tuo ne peperceris: ex eo enim iustus esse incipies, ex quo iniustitiæ tuæ accusator extiteris: nec tibi prius peccati venia concedetur, quàm iudicis ira confessione placetur.

Læta fidei tuæ oculos, & vide, quanta gaudia tibi promittuntur in celo, & quanta tormenta tibi parantur in inferno: quæ vt vites, & cæli gaudia assequaris, vide quam facile est quod abs te exigitur in mundo, nimirum vt tantum contrito corde dicas, Domine tibi soli peccaui, & malum coram te feci: tibi confitebor aduersum me iniusticiam meam. Quod

Isaia 43.

Confessio  
delet peccatum.

Psalm. 94.

Psalm. 50:

Psalm. 31.



si ex animo dixeris, frater charissime, remittet Deus impietatem peccati tui, omnium iniquitatum tuarum non recordabitur: imò efficax confessionis desiderium comitabitur venia, priusquam ad cruciatum perueniat pœnitentia: ante ad cor perueniet remissio, quàm in vocem prorumpat confessio. Nondum vox erit in tuo ore confitentis, vt Sacerdos audiat vocem tuæ confessionis: & Deus iam audiet, & ad efficacem confessionis voluntatem peccatum dimittet.

Efficacem confitendi voluntatem sequitur venia.

Ecce tuam ex puro corde confessionem Deus desiderat, vt tibi omnia quæ deliquisti, remittat. Misericordia nostri Redemptoris, temperauit seueritatem veteris legis, in qua sæpius scriptum est, Si quis hæc vel illa fecerit, lapidibus obruatur. Sed apparuit Creator noster in carne, qui legis duritiam inflexit ad misericordiam: qui peccatorum confessioni non mortem minatus est, sed promisit vitam. Omnia compensatio, & stupenda rerum vicissitudo, Domino suo peccata in eum commissa dicere, quæ alioqui eum non possunt latere, & ab eodem salutis præmia reportare! Post peccatum in Vriam, vbi primùm Dauid peccatum suum prophetæ Nathan confessus est, dicens: Peccauij Domino; mox ab eodem audire meruit: Transtulit abs te Dominus peccatum tuum. Filius prodigus, qui recedens à patre, totam substantiam suam consumpserat viuendo luxuriosè, solùm dixit, Pater peccaui in cælum & coram te: & statim pater misericordia motus, accurrens osculatus est eum. O breue verbum, Peccaui, ô tres syllabæ, quæ obstruunt

Exod. 19.  
Leuit. 20.  
& 24.

Confessioni peccatorum vita, non mors redditur.

Dauid.  
2. Regum II.

Filius prodigus.  
Lucæ 15.

Peccaui, dictio salutaris.



Confessionis  
vis.

Nota.  
Nulla nocet  
bit aduer-  
fitas, si nul-  
la domine-  
tur iniqui-  
tas.

Confessio  
reuocat Dei  
sententiam.

Nota.

os inferni, & portas aperiunt Paradisi. O pietas! ô clementia! ô nimia Dei nostri misericordia! qui in multis grauissimè offenditur, & ad tam breue pœnitentis verbulum placatur, omnem suam offensam peccatori dimittit, eique misericordiæ suæ sinum aperit. Nulla est tam grauis offensa, quin ei per confessionem donetur venia: nescit Dominus differre, quem compuncto corde sibi senserit supplicare, nec reseruat suo iudicio condemnandum, quod iam fuerit in confessione purgatum: cessat vindicta diuina, si confessio præcurrat humana, & qui ante confessionem dicebatur Dominus vltionum, post confessionem dicitur, Pater misericordiarum: nec iis iudex est seuerus, sed pater propitius, qui se propria confessione damnarunt: destruit confessio vna hora, quod dæmon laborauit, per multa tempora, quo modo enim confessos accusabit, quos Deus absoluit?

Cùm igitur confessione tanta promittatur venia, quid moraris confiteri peccata tua? Leua oculos tuos in directum, & vide, quod ad inferni duceris patibulum: quia peccasti, morte morieris, & non viues. Hanc diuinæ iustitiæ sententiam sola mutare potest confessio: sola hæc abyssu tuæ miseræ abyssum aperire potest diuinæ misericordiæ: fonti iniquitatis, fontem bonitatis: sola hæc tibi, cui nec cælum nec terra sunt secuta, in visceribus I E S V CHRISTI inuenire potest refugium. Christus tibi aperit latus suum, tu ei similiter in

con-



confessione aperi os tuum, dicens. Ecce labia mea non prohibebo, Domine, tu scisti. Psalm 39.

Vt quid igitur, frater charissime, confiteri times, qui non confitendo occultus esse non potes? si peccatum tuum non confiteberis, inconfessus damnaberis: damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus: confitendo faciestibi Deum propitium, quem negando non facis nescium. In suo iudicio tibi ignoscet, si in confessione tibi non ignoueris: parcet, si tibi non peperceris, si confitearis peccata tua, fidelis est & iustus Dominus, ut remittat tibi ea, & emundet te ab omni iniquitate. 1. Ioan. 1.

QVOD IS NON POTEST IVSTIFICARI, QUI NON VVLT PECCATVM SVVM CONFITERI SACERDOTI.

*CAP. II.*

**A**T dixeris, Occultè pœnitentiam apud Deum ago, nouit Deus, qui mihi ignoscit, quòd ipsi in corde meo confiteor.

R. Ergo, frater charissime, Esaia quadragesimo tertio Dominus frustra præcepit: Narra, si quid habes, ut iustificeris? Et Prouerbiorum vigesimo octauo, Qui abscondit scelera sua, non dirigitur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur? Et Ecclesiastici quarto, Non confundaris confiteri peccata tua. Et Iacobi quinto, Confitemini alterutrum peccata uestra. Vnde in primitiua

Vocalis confessio est de lege diuina.

ua



ua Ecclesia (vt habetur Actuum decimo nono) multi credentium veniebant, confitentes & annunciantes actus suos. Ergo Christus post resurrectionem Apostolis suis, quos in die cœnæ Sacerdotes ordinauerat, frustra dixit, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Quid est autem Sacerdotes peccata remittere, & hæc in cælis remitti, nisi peccata, quæ in confessione audiuerint absoluere, & hæc à Deo absolui? aut quid est Sacerdotes peccata retinere, & hæc in cælis retineri, nisi peccata inconfessa non absoluere, nec ea à Deo absolui? Quæ enim sunt duæ illæ clauæ Ecclesiæ, nisi ei duplex concessa potestas, scilicet à peccatis absoluendi, & absolute dignos ab indignis discernendi?

Ioan. 20.

Absolutio  
Sacerdotis.

Clauæ Ec-  
clesiæ duæ.

Christus  
in persona  
Petri omni-  
bus Presby-  
teris dedit  
clauæ re-  
gni cælo-  
rum.  
Matth. 16.  
Lazari susci-  
ratio.  
Ioann. 11.

Deus Laza-  
rum prius  
suscitauit,  
& eius dis-  
cipuli solu-  
unt.

In persona Petri omnibus Presbyteris Christus dedit clauæ regni cælorum, vt quodcunque ligauerint super terram, ligatum sit & in cælis: & quodcunque soluerint super terram, solutum sit & in cælis. In cuius rei figuram Christus Lazarum à se resuscitatum, Apostolis suis tradidit soluendum, dicens eis, Soluite eum, & sinite abire: prodierat enim ligatus manus & pedes linteis sepulchralibus, & facies illius sudario erat ligata. Quòd Deus prius Lazarum suscitauit, hoc est, quòd à se non ab alio peccatum dimittit: quòd autem Discipuli resuscitatum soluunt, hoc est, quòd non à se, sed à Deo habent, quòd peccata dimittunt. Et sic solus Deus principaliter peccata dimittit, quia quod Sacerdotes per ipsum fa-

fa-



faciunt, ipse facit. Peccator sepultus iacet, dum à peccato suo resurgere contemnit: quando autem pœnitens contrito corde apud se dicit, Confitebor aduersum me iustitiam meam Domino: tunc à morte peccati resurgit, & Deus impietatem peccati eius remittit. Quando confitetur, quasi de occultis exeundo manifestus prodit: sed adhuc ligatus est, & ministris dicitur, Soluite eum, & finite abire. Dehinc Sacerdos ministerialiter virtute clauium à peccati vinculo eum absoluit, quem prius per contritionem à Domino absolutum probabiliter credit. Sicut & Christus decem viris leprosis dixit: Ite, ostendite vos Sacerdotibus: & dum irent, antequam ad Sacerdotes venirent, in via mundati sunt: vt & mundatorem suum cognoscerent, & sacerdotes eorum mundationi se nihil contulisse agnoscerent. Quòd autem à Domino iubentur se ostendere Sacerdotibus, quid aliud est: nisi quòd si à peccati lepra vis mundari, eam te Christus iubet ostendere Sacerdoti? Nisi quòd non est tibi speranda venia criminis, nisi præcurrat accusatio propriæ confessionis? Non quòd ignoret, si id celaueris, sed te peccatum tuum confiteri iubet, vt pro pœna habeas erubescenciam confessionis: vt contraria contrariis curentur, & quæ inuerecundè commissa sunt, verecunda confessione diluantur. Qui enim pro Christo erubescit, & erubescenciam pro Dei amore amplectendo vincit, quoniam erubescencia magna est pœna, ideo dignus fit Dei misericordia: quantum displicet Deo impudentia peccatoris,

tan-

Sepulcrus in  
suis pecca-  
tis.

Psal. 32.

Ioan. 12.

Luc. 17.

Erubescen-  
tia confes-  
sionis est sa-  
tisfactoria.



tantum eidem placet verecundia penitentis. Multum satisfactionis Deo obtulit, qui erubescens suæ dominans, nihil eorum quæ commisit, Dei vicario denegavit. Amat Deus confitentibus parcere, & eos, qui semetipsos, iudicant, non iudicare: peccatoris desiderat confessionem, ut confitenti indulgeat veniam.

Primi parentes peccatum suum confiteri moluerunt.

Genes. 3.  
Adam & Eua ambo de peccato interrogati.

Primi parentes dum comedissent de fructu ligni vetiti, inter Paradisi ligna, absconderunt se à facie Domini. Moxque eos Deus de peccato suo requisivit: ut quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent: unde & diabolus ille persuasor, qui non erat ad veniam reuocandus, non est de suo peccato requisitus. Qui à Domino interrogati, cur lignum vetitum contigissent: dum commissum peccatum vir per mulierem, & mulier per serpentem excusarunt, conuictum defendendo multiplicarunt. Adam obliquè Dominum tangens, quod mulierem sibi sociam dedisset: & Eua culpam in Dominum refundens, qui serpentem in Paradiso posuisset, unde eorum culpa grauior fuit discussa, quam fuerat perpetrata. Tu autem qui ab iis traxisti radicem culpæ, traxisti etiam augmenta tuæ nequitiae: ut ad instar eorum labendo peccatum committas, commissum negando abscondas, & absconditum defendendo adaugeas.

Vulnus Medico detegitur.

Nónne si operam medicantis expectas, oportet, ut medico morbum detegas? membrum infirmum medico ostenditur, quod ab aliis absconditur. Pro recuperanda sanitate corporis medicum etiam expertum magno

con-



conducis pretio, vt te à mortis corporalis liberet periculo, cui omnia secreta tua dicis, etiam occultissimos morbos aperis: cuius medicina plerunque aut tibi obest, aut certè parum prodest. Tibi etiam loco solatii est familiaris amico tuo morbum tuum quantumlibet pudendum ostendere, à quo nihil potes commodi reportare. Quantò ergo magis incerta animæ tuæ salute omnipotenti Medico, quem misit Deus Pater, sanare contritos corde, cui etiam nihil est insanabile: qui sicut medetur sine pretio, ita salutem restituit solo verbo, animæ tuæ morbum per confessionis vocem debes detegere? Te vltro ad recipiendam salutem vocat dicens, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Quis tantæ pietatis diuitias, quis diuinæ misericordiæ viscera mirari sufficiat? Non solum gratis contritos corde sanat, sed etiam ad sanitatem recipiendam vltro prouocat: clamat Medicus, cur non adcurrit ægrotus?

Quia autem in forma humana Christus visibiliter tantum est in cælis, sedens ad dextram Dei patris, idcirco tantum exigit, vt alicui Sacerdotum (quos, nolens nos relinquere orphanos, suos hic constituit vicarios) vulnus tuum detegas, & sanabit: certamque dabit medicinam, quæ conferet vitam æternam. Si animæ tuæ medicina cara esset, aut vænalis, aut difficilis, aliquid posses prætere extusationis: sed solo verbo potes sanari, quo quid facilius posset inueniri? Stultus esses, si lethali vulnere accepto, sola eius denudatione euadere posses,

Morbus amico reuelatur.

Lucæ 4.

Matth. 11.

Sacerdoti confitendum.

Animæ medicina non est vænalis, ergo solo verbo, non pretio multo, potest anima sanari.

G

nec



nec tamen id denudares: si pro differenda morte corporali iterum moriturus plagam detegeres, quanto magis pro recuperanda æterna vita immortalis futurus eam detegere debes?

Confessio  
est denuda-  
tio vulne-  
ris animæ.

Confitendo quid aliud ages, nisi quòd vulnera, quæ latebant, aperies? Quid est peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum detectio? peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè prius latebat in mente. Quòd si tegis vulnera, quo modo tibi à medico adhibebitur medicina? ægrotii quo modo sanaberis, qui de medicamento tuo erubescis? Nónne si celeuaris vulnus, intus extensum putrescet latius: & ex dilata curatione, intus magis magisque incipiet crescere? nónne vulnera clausa plus cruciant? nónne dum in ventre stercora retines, venter grauat, dum verò egeris, alleuiatur? sic dum peccatorum tuorum sordes egeris, iugum & onus peccati excutis: sin autem peccata tua per confessionem non detegas, ea lethaliter in intimis dilatatas.

Notandum.

Peccatum  
inconfes-  
sum vir-  
tutes cor-  
rumpit.  
Simile.

Nullum  
peccatum  
reticendum.

Et sicut vulnus non ostensum sanam carnem putredine inficit, ita & peccata nisi confiteantur, & in confessione absoluantur: mox suo pondere ad alia atque alia peccata trahunt, & si qua ibi sunt bona, corrumpunt. Per modicum peccati fermentum, tota bonorum operum massa corrumpitur, nec ea bona Deo accepta sunt, quæ malorum admixtione maculantur. Si peccata tua confitearis, & data opera vnum peccatum mortale reticueris, confessio tua est inanis, inutilis, & veniæ sterilis,

ex



ex hac nullum peccatum remittitur, imò etiam aliud de nouo acquiritur, excommunicationem recipis pro absolutione, & maledictionem, pro benedictione. Deus enim non accipit dimidiatam confessionem, nec dimidiatam dat veniam, nunquam vnus peccati mortalis quempiam absoluit, quin eadem opera omnium absoluat. Christus mutum & surdum omnino sanauit, in quo nos non posse, nisi de omnibus sanari ostendit: quòd si ex parte peccata reseruare uoluisset, Magdalenzæ de qua septem dæmonia exierant, sex expulsis profuisset. Item ab alio, qui dæmoniorum legionem in corpore haberet, neminem reliquit, qui eum possideret: ostendens quòd si peccata sint mille, oportet de omnibus pœnitere. Regnum enim animæ pacificum non est, nisi omnibus eius hostibus expulsis, nec domus munda, nisi omnibus sordibus eiectis. Qui vno pede, vnâque ferrea catena fortiter detinetur ligatus, non plus aufugere potest, quam si per totum corpus mille catenis ferreis esset detentus: sic qui vnus peccati mortalis ferrea catena à diabolo detinetur, perinde est in eius potestate, & per eandem ad inferni tormenta deducitur, quam si mille peccatorum catenis religaretur.

Diabolo seruus es, & secretarius fidelis, qui clandestinas eius suggestiones & mala consilia detegere metuis. Veluti enim malum aliquod moliens sua secreta ei ampliùs non committit, quem prius sua secreta diuulgasse comperit: sic & mihi videris timere, ne apud diabolum fidem perdas si peccata quæ tibi sug-

Dimidiam  
veniam non  
dat Domi-  
nus.

Marci 7.

Luca 8.

Ibidem.

Notandum.

Vno peccato  
æque ac  
si mille reli-  
gatur pec-  
cator.

Secretarius  
diaboli.



gessit, prodas, quòd si in confessionem peccatorum, ad quæ te pellexit, erumperes, iugum pactumque diaboli disrumperes. Nullo modo potes excusari, qui confessionem negligis amplecti, per quam & diaboli iugum excutitur, & venia apud Deum inuenitur. Certè duplici crimine reuses: primo, quia legem contempnisti, vt delinqueres: secundò, quia confessionis remedium amplecti noluisti, vt in æternum perires.

Dupliciter  
peccat, qui  
confiteri  
renuit.

Itaque, frater charissime, confessio tibi afferat salutem, cui legis contemptus attulit mortem: peccata tua confitere, dum qui peccasti adhuc in sæculo es, dum admitti confessio tua potest. Repræsenta Deo vitam tuam per Sacerdotem, præueni iudicium Dei per confessionem: sine ea mortuus es in anima, sed per eam animæ tibi reparabitur vita: confessioni animæ decor, & pulchritudo iungitur, omnia in confessione abluuntur, quæ ablutio in quadam innocentiam deputatur. Ama igitur confessionem, si animæ tuæ amas decorem, si innocentiam, & peccatorum tuorum remissionem.

Confessio  
vita est ani-  
mæ.



QVOD



QVOD PECCATOR NON DE-  
BET VERERI, PECCATA  
SVA CONFITERI  
SACERDOTI.

## CAP. III.

**A**T fortè erubescis, ne si enormia peccata tua confitearis: Sacerdoti cui hæctenus vir bonus & honestus visus es, posthac peccator videaris: sicque ei appareat tua hypocrisis. **R.** Imò, frater charissime, Sacerdos quò maiorem tuam videt confusionem, eò maiorem tibi præbere nititur consolationem: quò grauiora peccata ex te audit, eò maiorem tibi veniæ spem facere satagit: ad Dominum intercedit pro peccatis tuis, in quo pro te ei persoluit partem satisfactionis. Vbi pater familias est largus, dispensator non debet esse parcus: vt si pœnitenti tibi Deus est benignus, Sacerdos tibi non sit austerus.

Confessarius  
grauissimi  
peccatoris.

Sed esto, quod is malam de te posthac habiturus sit opinionem. Est ne Sacerdotis bona de te opinio maius bonum, quàm sit æterna beatitudo, & digna, vt pro eius conseruatione incurrenda tibi sit æterna damnatio? an in opinione Sacerdotis summam tuam felicitatem constituis: te beatum putans & felicem, si Sacerdos bonam de te habeat opinionem? Ecce parati sunt diaboli, vt te rapiant ad inferni pœnas, & de Sacerdotis opinione cogitas? Si Sacerdos peccata non haberet, erubescere posses, si peccata tua ei manifestares. Homo est, sicut & tu, humani à se alienum nihil pu-

Confessarii  
mala de  
confitente  
opinio.

Confessarius  
est æquè  
peccator vt  
confitens.



tat: in similibus aut lapsus est, aut labi potest.

De poenitentia distinct. 6.

Quod si forsan vereris, ne reuelet sibi dicta sub sigillo confessionis. Gregorium audi: Sacerdos (inquit) ante omnia caueat, ne de iis, qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quod ea confessus est, non propinquis, non extraneis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo: nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus pergat. Iam vides, quod Sacerdos ea quæ in confessione scit, minus scit, quàm quæ ipse nescit. Quæ enim nescit, scire potest, & ea reuelare: quæ autem in confessione scit, etiam si aliunde sciuerit, ea tamen ratione scandali reuelare non ausit.

An forsan solum erubescis peccata tua enormia confiteri. Nescis, frater charissime, quia hæc erubescencia tibi data est in medicinam peccatorum, & emendationis auxilium: & tu eam conuertis in toxicum, & absolutionis peccatorum obstaculum? Ideo enim iuberes confiteri peccata, vt erubescenciam habeas pro poena. Multum satisfactionis persolueris, si huic tuæ erubescencie dominans, nihil eorum quæ commisisti, Dei vicario negaueris. An momentanea illa erubescencia, quæ cum ipsa prolatione cum sonitu verborum confessionis fugit, impediet, ne ad illa cælestis Hierusalem ascendas gaudia, & ad inferni te detrudet supplicia? Melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus. O magna peruersitas: non puduit inquinari, & pudet ablui? non erubuisti peccare in con-

Erubescencia proposita.

spe-



spectu Creatoris, & in conspectu creaturæ  
 confiteri erubescis? fœdus & verecundius est  
 peccatum committere, quàm iam commissum  
 confitendo detegere. Ei, cum quo peccasti,  
 de peccato tuo non erubescis colloqui, vn-  
 de nil commodi potes reportare: & Sacer-  
 doti illud erubescis confiteri, à quo potes ab-  
 solutionem recipere: Non solus es, qui pec-  
 cata tua noscis, & tamen quasi solus scires,  
 ea occultare conaris? Plerunque dum malefeci-  
 ris, damnabiliter exultas & palam gloriaris: &  
 malefacta tua vni salubriter confiteri erubescis?  
 Erubescis ab animæ tuæ Medico petere sanita-  
 tem, cum non erubescat mendicus à ditissimo  
 quoque petere eleemosynam? Grauiissima alio-  
 rum peccata non erubescis palam detrahendo  
 diuulgare ad tuam damnationem, & soli Sa-  
 cerdoti vereris peccata tua in secreto confite-  
 ri ad tuam salutem?

Ex superbia cordis nascitur, hæc tacitur-  
 nitas criminis? dum non vis talis appa-  
 rere in conspectu Presbyteri, qualem te ex-  
 hibes in conspectu Dei. Omnes peccatores  
 sumus, & Dei gratia indigemus: quòd si nos  
 peccatum non habere dixerimus, nosipfos se-  
 ducimus, & veritas in nobis non est. Tu ve-  
 rò vni Sacerdoti peccator videri non vis, & te  
 à communi omnium peccatoris nomine exclu-  
 dis? quòd si te talem agnoscis, cur talis non  
 videberis? imo & bonarum mentium est ibi  
 agnoscere culpam, vbi non est culpa: simula-  
 ta autem æquitas duplex est iniquitas. Melior  
 est in malefactis humilis confessio, quàm in

simile.  
 Taciturni-  
 tas criminis  
 est super-  
 bia cordis.

Superbia  
 est nolle  
 confiteri.

Chrysoft.

Si sufficeret  
 fides cordis,  
 non creasset  
 tibi Deus os.

Hic tan-  
 quam ali-  
 quod sepul-  
 chrum de-  
 albatum,  
 intus omnia  
 putida, fo-  
 ris verò ficta  
 ac simulata.

1. Ioan. 1.

Simulata



æquitas, est  
duplex ini-  
quitas.

Publicanus  
Lucæ 18.

Pharisæus.

Dauid.  
2. Reg. 11.

Paulus.  
1. Timot. 1.

Magdalena  
Lucæ 7.

benefactis superba gloriatio. Hæc sunt veræ  
humilitatis testimonia, & peccatum suum a-  
gnosceret, & agnitum voce confessionis aperi-  
re. Tu verò bonus videri, non esse; malus  
esse, & non videri vis? & instar primorum pa-  
rentum verborum tergiuersatione peccata tua  
leuigare contendis: & sicut Cain tua peccata  
reticendo suppressere quæris? dum publica-  
nus eum, quem occulta non fugiunt, placare  
voluit, confiteri se peccatorem non erubuit, &  
sic iustificatus descendit. Phariseus verò dum  
magis videri quam esse iustus optauit, si qua  
prius in eo fuerant merita, perdidit, & pecca-  
ta sua adauxit. Dauid non solum Prophetæ  
Nathan peccatum suum confessus est, dicens:  
Peccaui Domino, sed etiam illud toti mundo  
detexit, & de eo psalmum Miserere mei Deus,  
conscripsit. Paulus non solum vni sua pecca-  
ta detexit, sed etiam toti mundo ea publicauit:  
Prius (inquit) blasphemus fui, & persecutor, &  
contumeliosus, sed misericordiam Dei conse-  
cutus sum. Maria Magdalena peccatrix illa  
euangelica dum turpitudinis suæ maculas aspe-  
xit, lauanda ad fontem misericordiæ cucurrit,  
nec conuiuantes erubuit: & quia semetipsam  
intus grauitè erubescibat, nihil esse quod for-  
ris verecundaretur, credebat: considerauit, quid  
fecerat, & moderari noluit quid faceret: super  
conuiuantes ingressa est, non iussa venit, inter  
epulas lachrymas obtulit. Perpende, quo pec-  
cati dolore ardet, quam inter epulas flere non  
pudet: momentaneam hominum verecundiam  
non erubuit, & ore Domini audire meruit, Re-  
mittuntur tibi peccata tua. Ita-



Itaque, frater charissime, non debes vereri peccata tua confiteri Sacerdoti, quin potius à te discedat damnabilis verecundia, & accedat salutaris impudentia, si tamen impudentia dicenda est verecunda confessio, cuius verecundia magna est peccatorum satisfactio. Peccator ad peccatricem illam euangelicam recurre, ex ea confessionis exemplum tibi sume: eius exemplo quæ inuerecundè perpetrasti, ea ne vereris confiteri: vt cum ea audire merearis, Remittuntur tibi peccata tua.

Magdalena  
imitanda

Lucæ 7.

QVOD DEO NIHIL EST OCCULTVM, ET IN FINALI IVDICIO REVELABIT ABSCONDI- TA CORDIVM.

CAP. IV.

Serue peccati, quò fugis? tecum te trahis, quòcunque fugeris: non fugit te ipsum tua conscientia, non est, quò eat: sequitur te, imò non recedit à te. Peccata quæ fecit, intus sunt, quæ eam semper miserè angunt: & dum vermis remordens in ea non moritur, iam ex hac vita inferos suos ipsa patitur. Pus non cruciat postquam est ex vlcere egestum, sic nec peccatum remordet, postquam est in confessione detectum: & licèt peccati confessi grauis sit memoria, tamen si illud displicet, ea est fructuosa & satisfactoria. Tu autem assidue & peccatorum tuorum conscientia angeris, & quia ea in corde vides, quòd nemo ea videat, suspicaris. Ab aliis quidem ea igno-

Conscientiæ  
vermis,

Cogitatio-

G s

rari



nes homi-  
num Deus  
videt.

rari possunt, Deum autem prorsus latere nequeunt; homines conspiciunt, quæ patent exterius, Deus verò cordis cogitationes perspicit in intimis visceribus. Non sicut vident homines, videt & Deus: homines in facies, Deus verò videt in corde: nulla creatura in oculis eius est inuisibilis, quia omnia nuda & aperta sunt eius oculis. Omnia videt, omnia conspicit, nec est quisquam locus, qui omnipotentia eius occultus sit: ei omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & acutissimè profunda cogitationum rimatur: eas exactiùs discutit, quàm vel cor ipsum discutere possit: quales sint intimè nouit, quod tamen cor ipsum, quamlibet exactè discutiat, discernere nequit. Nullus igitur mendacio, nullus dissimulationi locus est, inclusam habere conscientiam nihil tibi prodest. Deo intus & in cute pates, sicut aures tuæ ad voces tuas, ita & aures Dei ad cogitationes tuas. Nam ab oculis Dei putas abscondi, à quo scis etiam cordis occulta videri? putas, quòd non te viderit fornicantem, quem vidit fornicationem cogitantem? omnia nouit, priusquam fiant, & putas, quòd ea nesciat, postquam facta sunt? antequam ea peccata admitteres, cognouerat, dum ea faciebas, præsto aderat, & putas, quòd si non confitearis, ea ignorat? imò quantò magis peccata tua confiteri refugis, tantò magis ea diuinæ maiestatis conspectui opponis.

Non te domino, sed dominum abscondis tibi: agis enim, ne videntem omnia videas, non autem, ne is videat te: cum videre nequis,



quis, tamen subtiliter videt omnia quæ agis: putas ab eo peccata tua non videri, quia vides ea ab eo non puniri? Imò grauius hoc ipso in te irascitur, quòd nunc tibi irasci dedignatur: iam tibi est initium damnationis, quòd eius patientia abuteris, & parcentis benignitatem non intelligis. Videt Dominus peccata tua, non vt approbet, sed vt condemnet: non vt ea foueat, sed vt puniat: non vt semper patiat, sed vt ea in suo iudicio vlciscatur. Num existimas, ò inique, quòd Deus similis sit tui? quòd peccata tua videat, & ea impunita dimittat? Similis tui esset, si ea tandem impunita dimitteret: eorum pœnam differt, non aufert. Tu verò ea non solùm non vis punire, sed & post tergum proiicis, ne ea possis videre. Et sicut homo turpis non libenter speculum intuetur, ne visa sua turpitudine tristetur: ita & à peccatis tuis oculos auertis, ne eorum visa fœditate quoquo modo tristeris: quæ quia non vides, quod nec Deus ea videat, suspicaris. Falleris, frater charissime, & longè, inquam, falleris: Deus enim occulta tua examinat, & non solùm opera, verùm etiam intentiones radicitus pensat; & quem vbique peccatorum tuorum habes testem, habiturus es quandoque & vltorem. Iudex est, & iusti iudex, & vltor iniquitatum: quo modo ergo iniustè iudicabit? tacuit, nunquid semper tacebit? Tacuit, quia misericordiam prorogauit, quia peccata tua statim non puniuit, iniquitatem tuam dissimulauit, tempus pœnitentiæ indulfit, sed nunquid

Peccata licet Deus videat, tamen ea non statim punit.

Peccata sua recogitare nolens: Simile.

Deus quandoque erit peccatori vltor & iudex æquus.



quid semper tacebit? imò arguet te, & in tempore vindictæ disperdet te.

Iudicium  
finale.

Veniet, veniet profectò dies, & non tardabit, in qua cum Angelis & Archangelis, cum thronis & dominationibus, cùmque omnimilitia cælestis exercitus, iudex apparebit cælis ac terris audentibus: omnibusque elementis, ad Creatoris sui obsequium in peccatores armatis.

1. Cor. 4.

Peccata singulorum à singulis cognoscuntur.

Tunc illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: vnus cuiusque dicta, facta, & cogitata in publicum deducet: loquentur corda, tacebunt ora.

Isa. 47.

In tremenda illa die detegentur omnes turpitudines peccatorum, in conspectu omnium gentium. Tunc reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum: ab omnibus angelis bonis & malis, ab omnibus hominibus electis & reprobis. Aderit illa dies, qua facta tua quasi in quadam tabula depicta monstranda sunt: ante tribunal Christi stabis, ibi omnibus patebit, qua mente vixeris: librum condemnationis tuæ portabis, & apertum coram omnibus demonstrabis.

Iudicis seueritas.  
Quicquid agis, prudenter agas, & respice finem.

Respice tuum finem, & qualiter stabis ante districtum iudicem, cui nihil est occultum, cui tacendo te non potes celare, & quem negando non potes fallere: qui muneribus non placatur, nec excusationes recipit, sed quod iustum est, iudicabit. Ibi latere erit impossibile, comparere intolerabile. Tunc districtus exiget, quæ nunc mansuetus iubet: sicut & magistri pueris elementa literarum blandientes imponunt, sed hæc ab eis sæuientes exigunt. Blanda nunc est admonitio

Simile.

nitio



nitio Dei vocantis, sed tunc districta erit iustitia iustè iudicantis. Quantò benignior fuerit peccata dissimulando, longanimior te ad pœnitentiam expectando, promptior ad indulgendum, & pronior ad gratiam conferendum: tantò tunc seuerior erit ad increpandum, grauior ad audiendum, & implacabilior ad puniendum.

Quis putas tunc terror erit, quando foris districtus iudex videbitur, & intus ante oculos culpa versabitur? quis pavor, quando iam in pœna remedium non erit? quis tremor, eum quem etiam tranquillum mens humana non valet capere, etiam iratum videre? Quæ confusio, quando reatu tuo exigente, tibi continget in conuentu omnium Angelorum hominumque erubescere? Erubescis videre tam animæ quàm corporis tui pudenda, magis verecundaris videre aliena, quantum ergo erubesceres & verecundareris ab omnibus videri tua? Multum verecundaretur honesta mulier, & pudica etiam, quamlibet speciosa, si coram omnibus regni sui in suam verecundiam denudaretur: longè plus, si deformis & horrida esset: multò plurimùm, si præter hæc, multa scæda & enormia in cordis sui secreto latentia diuulgarentur. Hinc collige quantum erubesces & verecundaberis, quando coram omnibus hominibus & Angelis à bono opere nudus apparebis: & præterea multis horrendis criminibus execrabilis, imò & tibi ipsi horribilis? Si nunc abs te quisquam quæreret: an in superbia, auaritia, luxuria & aliis peccatis dia-

Terror iudicii.

Erubescencia reproborum in iudicio.

Simile.

Seruus diaboli.

boli



Simile à pueris mendacium suis parentibus obtrudentibus.

boli seruus esses : quamuis ita esset, id tamen confiteri erubesceres : quantò ergo magis erubesces in die iudicii, quando opera tua te seruum ostendent diaboli? Tunc tibi continger, quod insolentibus pueris contingere solet, qui à parentibus interrogati, peccatum suum nolunt fateri, & ideo grauius puniuntur, & plus pro mendacio, quàm pro suo peccato: sicque verberibus coacti, veritatem compelluntur fateri: qui si in principio veritatem dixissent, & misericordiam postulassent, minimè verberati fuissent.

Erubescencia finalis iudicii maior est quàm confessionis.

O miserrime & insipiens peccator, quid respondebis Deo omnia opera tua scienti, qui ea nunc vereris confiteri Sacerdoti? times verecundiam momentaneam, & æternam non times confusionem? coram vno erubescis, & in oculis omnium hominum qui fuerunt, sunt, & erunt, erubescere non metuis? Si erubescenciam istam non potes sustinere coram vno, quo modo eam sustinebis coram toto mundo? Si conspectum reformidas Sacerdotis placati, quo modo tolerabis conspectum Dei irati? si homo homini, peccator peccatori (qui mox futurus est post hominem vermis, post vermem puluis) non audes villicationis tuæ rationem reddere ad misericordiam consequendam, qualiter Creatori tuo iudici districtissimo eam reddere audebis ad æternæ damnationis sententiam audiendam? Perpende, quantum terrebit præsentia Creatoris, quando te sola consideratio terret pulueris. Sacerdos Dei vicarius nescit, nisi quantum ei dicis, idque in secreto: Deus verò

omni-



omnium operum tuorum perpetuus inspector, ea reuelabit coram toto mundo. Inuitus omnia peccata tua palàm confiteberis, quæ nunc vni salubriter confiteri erubescis. Si horrendum illud Dei iudicium timeres, Sacerdotis iudicium non refugeres: perfectus Dei timor omnem pudorem solueret, & in peccati confessionem lingua prorumperet. Et sicut fur sciens iudicem aduentare, vt eum scrutetur, & furtum abiicit, ne cum furto inuentus damnatur: haud secus si aduentum iudicis timeres, ne cum peccatis te deprehenderet ea in confessione excuteres.

Itaque, frater charissime, hunc tanti paucis iudicem ante oculos pone, hunc venturum time, vt cum venerit, non pavidus, sed eum videas securus. Nam veluti in humanis iudiciis coram vno iudice duo pariter assistunt, vnus ex peccati conscientia tremebundus, alter ex vitæ innocentia securus: ille plectendus, iste præmiandus: Sic in die illa tremenda, & electi & reprobis æquè iudicem videbunt, sed non æqualiter, quia tranquillius iustis, & iratus apparebit iniustis: illis eum benignum ostendet antea acta iustitia, & istis terribilem culpæ conscientia: illi quidem æternæ beatitudinis præmia recepturi, isti verò à facie Dei ignem æternum detrudendi. Nunc igitur est tibi timendus, ne tunc timeatur; terror eius te ad culpæ prouocet confessionem, & hominum abs te abigat pudorem. Tantò tunc securior eris de eius præsentia, quantò hic sollicitior fueris de tua conscientia: nunc animæ tuæ vide

Fur furtum excutit. Simile optimum,

Electi & reprobis iudicem diuersimodè videbunt. Simile à duobus in vitæ actionibus disparibus.

for-



Conscientia  
seipfam iu-  
dicans.

scdritatem, vt corrigas: ne tandem eam no-  
lens videas, & erubescas. Mentis tuæ tribunal  
ascende, & teipsum coram te ipso constitue, sis  
tibi iudex incorruptus. Atque ita constituto  
cordis iudicio, adsit cogitatio accusatrix, & con-  
scientia tua testis: timor Dei hoc iudicium vr-  
geat, ratio iudicet, postremò pœnitentiæ acer-  
bitas te cruciet: adsit dolor in contritione,  
pudor in confessione, & labor in satisfactione.  
Si in futuro fugere vis Dei iudicium, in præ-  
senti iudica temet ipsum: si te ipsum iudicaue-  
ris, à Deo non iudicaberis. Si vis à Deo fu-  
gere, ad ipsum fuge confitendo, non autem  
peccatum tuum celando. Confiteri potes, ce-  
lare non potes: vt qui manum fugere non  
potes districti iudicis, per confessionem mun-  
datus experiaris clementiam misericordis.

### QVARTÆ PARTIS CONCLVSIO.

Confessio-  
nis vis.

Confessio-  
nis necessi-  
tas rationa-  
bilis est.

**O**B hæc & multa alia, quæ in hanc sen-  
tentiam dici poterant, planè vides, fra-  
ter charissime, quòd confessio pecca-  
ta obliterat, iniustum iustificat, & animam à  
morte liberat: sine qua nemo potest gratiam  
Dei recuperare, & peccatorum suorum veniam  
sperare. Incipe igitur à confessione ad mise-  
ricordiam Dei intrare, & vt iustus sis, accusa-  
tor sis tui. Deus enim iustus est, qui pecca-  
ta odio habet, & ea impunita non dimittit: sed  
simul misericors est, qui ea pœnitenti remittit.  
Seruat iustitiam in misericordia, & misericor-  
diam



diam in iustitia: oportet igitur, vt Deus iustus iustè misereatur tui. Nónne autem iustum est, vt te miserum confitearis, vt ab eo misericordiam consequaris? vis peccata tibi dimitti, & peccator non vis videri?

Quid tibi prodest inclusam habere conscientiam, cùm Deum, omnium tuorum facinorum habeas testem? quicquid feceris, Deus assistit, perpetuus vel minimarum cogitationum tuarum obseruator. Et veluti dum quempiam contra nos latere in insidiis credimus, tantò eum ampliùs metuímus, quantò minùs eum videmus, cumque eius insidias nequaquam deprehendimus, vbi sunt, ibi etiam eas metuímus, vbi non sunt. Sic Creator noster (qui vbique totus existens te aspicit, & à te aspici nequit) tantò magis tibi metuendus est, quantò magis inuisibilis permanet, quantò, quidue de tuis actibus decernat, ignoras. Ibi pecca, vbi eum esse nescis: quòd si fieri non potest, quin semper assistat, & omnia occulta tua videat, magna est tibi indicta necessitas rectè viuendi & probitatis, qui omnia facis ante oculos Dei omnia cernentis, quæ si diligenter considerares, multa pudenda coram Deo perpetrata erubesceres: quæ vt ei tecta essent, per confessionem detegeres, ne de iis coram eo & toto mundo erubescere posses.

Igitur, frater charissime, districtissimum illud examen præoccupans in confessione præueni iudicis faciem, ei per suum vicarium repræsentata tuam vitam: nec homo homini,

Cogitationes hominum Deus videt.

Inuisibilis Deus magis est timendus.

Conclusio.

H

pec-



peccator verearis confiteri peccatori. Confiteri non solùm de grauibus illis peccatis, quæ vsque adeò erubescis, sed etiam de hac erubescencia, quæ diu prohibuit, ne confitereris.

Confessiones superiores iterandæ. Nunquam Deus quempiam de vno peccato mortali absoluit, quum eadem opera de omnibus absoluat.

Et quia, ex quo primum cœpisti erubescere, & peccatum mortale consulto reticere: nullum peccatum tibi est remissum, Deo dimidiatam confessionem non accipiente, nec dimidiatam veniam dante: idcirco omnes tuæ confessiones (si quæ ab eo tempore factæ fuerunt) manserunt inutiles, veniæ steriles, & sine misericordia, ob idque ipsum omnia peccata mortalia in iis confessa rursus sunt confitenda: si eorum omnium vis veniam consequi, & per veram pœnitentiam tibi remitti, tandemquæ aeterna inferni euadere supplicia, & ad beatifica illa peruenire gaudia.

Amen.

QUARTÆ PARTIS FINIS.



IN-





INSTITVTIONIS  
PARAENETICAE

AD  
POENITENTIAM.

*QVINTA PARS,*

DE

VITA IN MELIUS COMMV-  
TANDA.

QVOD NVLLA PASSIONE DEVS  
AFFICITVR, NEC PRIVS PECCA-  
TOREM DESERIT, QVAM AB  
EO DESERATVR.

*CAPVT PRIMVM.*



Vinto dicis, quòd propter plurima  
eaque grauissima peccata tua, Deus  
(qui, cuius vult, miseretur, & quem Rom. 9.  
vult, indurat) tibi gratiam suam sub-  
traxit, te deseruit, & in peccatis tuis te indu-  
rauit. Vnde cùm non sit volentis aut curren- Ibidem.  
tis hominis, sed Dei miserentis susceptum pec-  
cati iugum à cervicibus excutere, desperas te  
posse à malo declinare & facere bonum: quòd  
Deum, sine quo ne cogitare quidem bonum Rom. 9.  
H a potes,



potes, tibi inimicum putes. R. O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se fecit, quare sic me fecisti? Per hoc, quòd homo de humo sumptus es, iudiciorum Dei abyssum discutere dignus non es: nequaquam sufficit sensus tuæ carnis, secreta penetrare summæ maiestatis: melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia. Dominus non ad suam discussionem, sed ad suum te creauit honorem: vt suorum seruus esses præceptorum, non autem iudex actuum suorum. Satis esse debet Christiano ex fide adhuc viuenti, & quod perfectum est nondum videnti, sed videre speranti: credere, quòd apud Deum nulla esse potest iniustitia, tamen eius iustitiæ potest ignorari causa. Alioqui scrutator maiestatis opprimetur à gloria.

Tu verò de Deo, cui nil fellis, nil amaritudinis inest, qui immutabilis, & impassibilis est, sicut de hominibus iudicas? homini quidem iustum videtur, vt suam vlciscatur iniuriam, Dei verò misericordia est pœnitenti relaxare offensam. Dominus cùm à seruo offenditur, solet eum à conspectu suo expellere, à supplicante faciem auertere, & roganti veniam denegare: à Deo autem licet superbiendo auertaris, & is à te per iustitiam auertatur: tamen cùm humiliatus ad eum conuerteris, per misericordiam conuerti non dedignatur. Nec in hoc alicui mutationi subiacet, qui ab æterno incommutabilis permanet. Naturam illam simplicem nulla perturbatio concutit, nulla passionis necessitas afficit: sed quia de Deo nisi

secun-

Iudicia Dei non sunt discutienda. Hieronym. Melior est rusticitas sancta, quam eloquentia peccatrix,

Proverb. 25. Superior cùm a suo subdito offenditur, aliquando etiam eum à conspectu suo detinet disiunctum, aut sepositum, gratiam acque fauorem suum ei subtrahendo.

Deus immutabilis.



secundum humanum morem loqui non possumus, ideo temporalem Dei punitionem, vocamus iram: sententiam aeternae damnationis, furorem, gratuitam bonorum largitionem, misericordiam: & sic de aliis. Quod haec irati, furentis, miserentis hominis, & diuersimodè affecti sint opera. Sic tamen vt semper de eo in bonitate sentiamus, in simplicitate cordis eum quaeramus: nihilque in eo esse credamus, quod non sit ipsemet Deus: districtum enim iudicium inconcussus peragit, & permanens mansuetus iniustos punit. Nec tamen in hoc aliisque operibus suis vlla est apud eum transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio: sicut & hic ex calore solis multa fiunt, nulla tamen in ipso vel calore eius fit mutatio, sed tantum in iis quae fiunt: sic & Dominus Deus iuxta sempiternam suam voluntatem multa quotidie creat, facitque existere, sine vlla motione vel sui mutatione. Tamen sicut nauta, dum à litore, in quo plantata est arbor, recedit, suo recessu arborem moueri credit: cum tamen in eodem littore semper fixa maneat, solusque ipse recedat: Et sicut si quis claudat oculos reuolvens solem aspicere, nulla mutatio fit in sole, sed tantum in oculis se habentibus diuersimodè: Haud aliter dum Deus aliquid sicut in aeterna sua voluntate fuerat, de nouo facit, dum hominis miseretur, aut in eum vleiscitur: dum homo per peccatum à Deo auertitur, nulla fit in Deo mutatio, sed tantum in homine se habente vario modo.

Solisealor.  
Deus indies  
multa creat  
& facit sine  
sui vlla inu-  
tatione.

Arbor in  
littore.



Deus ubi-  
que est.  
Simile,

Deus nobis  
inuisibilis,

Anima inui-  
sibilis.

Peccata se-  
parant inter  
Deum &  
nos.

Anima est  
vita corpo-  
ris, & Deus  
est vita ani-  
mæ.

Deus inui-  
tus à nobis  
recedit.

Recedis autem à Deo, non per distantiam localem: quia sicut anima hominis tota est in toto corpore, & tota in qualibet eius parte; tamen propter maiorem in corde operationem specialiter illic residere dicitur. Sic & Dominus Deus noster quamuis specialiter dicatur esse in calis, quòd illic gloriam suam communicat beatis; tamen ubique substantialiter & præsentialiter est totus, impletque latitudinem orbis totius; tametsi carnalibus oculis nostris simplicissima illa natura est inuisibilis. Cuius tamen ubique præsentia cognoscitur, dum in omnibus, quæ hic sunt, eius cooperatio, sustentatio & gubernatio perspicitur: quæ omnia statim conciderent, nisi adminiculo creatoris sui velut manum supponentis facta & sustentata essent; sicut nec à nobis animæ præsentia aliter videri potest, quam per vitales suas suo in corpore operationes. Recedis igitur à Deo non per distantiam localem, sed quia inter te & eum, peccatorum opponis obicem. Sicut enim paries separat inter oculum & lucem, sic peccata inter Deum & hominem. Et sicut vita corporis anima est, ita animæ vita Deus est: & sicut moritur corpus, si anima deserat; ita moritur anima, si deserat Deus: sicut mors exterior ab anima separat carnem; ita mors interior à Deo separat animam. O quanta miseria est ab eo longè esse, qui ubique est; & sine eo esse, sine quo nemini potest bene esse? Ille tamen semper inuitus ab homine recedit, nullum spontaneus deserit; nunquam deest, nisi prius expulsus. Quem dum



dum per peccatum expulisti, te quidem à salute tua alienum fecisti, & Deo nihil damni intulisti. Veluti si à vitis radice (ego sum vitis, & vos palmites, dicit Dominus) palmes non auellatur, fert fructum multum, suumque à radice sumit nutrimentum; qui si auellatur, viti quidem nulli damno est: sic quippe vitis est in palmitibus, vt vitale nutrimentum subministraret eis, non autem sumat ab eis: Ita in Christo manentibus, & Christum in se manentem habentibus, ab eo multa dona virtutum emanant & gratiarum, quod Christianis prodest, non Christo. Quandoquidem præciso palmitate potest de viua radice alius pullulare: qui autem præcisus est, sine radice viuere non potest, sed arescet, colligetur, & in ignem mittetur. Et veluti qui à luce oculos suos auertit, luci quidem nullum damnum intulit, semetipsum vero tenebris condemnauit: haud secus dum Deo qui mentium lumen est, adhærere contempsisti, in tenebras corruisti, non oculorum, sed morum: etsi oculorum non exteriorum, quibus discernitur album à nigro, sed interiorum, quibus discernitur iustum ab iniusto. Nam veluti, nisi locus solis radio illustretur, ibi volitantes atomi non videntur: sic & tu, qui à diuinæ illuminationis gratia excidisti, multa committis, quæ peccata sunt, nec tamen animaduertis: quæ ii diligentissimè discutiunt, & in se districtissimè reprehendunt, qui sole iustitiæ intus illustrati sunt.

Qui ab interiori diuinæ illuminationis gratia excidisti (nec tamen penitus, quamdiu in

Palmes  
auulsus.  
Ioan. 15.

Oculos suos  
à luce auer-  
tens.

Tenebræ in-  
teriores.

Atomi.



Tenebrae  
exteriores,

Peccator  
per se cor-  
ruit, nec per  
se resurgit.

Sol omnium  
sele obicit  
oculis.

hac vita es constitutus) & in tenebras interiores, mentisque cæcitatem corruisti. Si in tua cæcitate vsque in finem perstiteris, & à sole iustitiæ illuminationis suæ gratiam recipere neglexeris, tandem in exteriores tenebras corrues, æternæque damnationis noctem, ab eo longissimè semotus, qui lucem habitat inaccessibilem. Præterea dum à Deo (qui est omne bonum, summè bonum, & sine quo nihil est bonum) te per peccatum aueristi, Deo (qui bonorum tuorum non eget) nihil damni intulisti, sed summo bono priuatus in summam miseriam deuenisti. Non tamen sicut per te & ex propria tua voluntate potuisti de bono in malum corruere, ita quoque per te & ex sola tua voluntate potes de malo in bonum resurgere: etsi facile fuit voluntati tuæ stare ne caderet, Non tamen ita facile erat resurgere, si caderet. Cecidisti sola voluntate in foueam peccati, sed non ex sola tua voluntate potes inde liberari. Non enim vulnus tam facile curatur, quàm infertur: nec tam facile quis de fouea exit, quàm in eam cecidit: sed nisi quis de sursum funem demittat, lapsumque hominem ea apprehensum sustollat, nunquam per se inde exurgere queat: sic nisi te præueniat Dei gratia, exire non potes de peccati fouea; parata tamen est semper te adiuuare, te inde extrahere: tu tantum gratiam Dei te præuenientem apprehende, & Deo salutem tuam operanti cooperare: & mihi crede, liberaberis. Nam velut solus oculus Solem videre non potest, nisi Solis lumen oculum præueniat, vt videat: tamen interdum Solis

Solis



Solis (qui super omnes indifferenter oritur) libera est intuitio: hominique liberum est oculos claudere, ne Solis lumen admitat, aut aperire, ut illud recipiat. Haud secus tibi, qui per te in peccatum cecidisti, nec tamen per te potes resurgere: liberum est præueniente diuinæ illuminationis gratia à peccato resurgendi accipere, aut non accipere gratiam.

Gratia autem specialis, qua Deus præuenit peccatorem, ut resurgat, duplex est. Vna specialior, nec semper ad salutem necessaria: est immissio aduersitatis, quæ mentem occupet hominis, expellatque perniciosam peccati delectationem subtractio opportunitatis peccandi, ablatio aut debilitatio tentationis, auditio prædicationis, & alia huiusmodi: quæ possunt ad pœnitentiam incitare peccatorem.

Altera est generalior, quia omnibus ad salutem necessaria: quæ ex superiori gratia persæpe oritur: & est bonus motus, bonæque cogitatio, velut cum peccator agnoscit peccatum suum, & miserabilem statum: in quo si decederet, rectè in infernum descenderet: aut dum cogitat se priuandum cælesti beatitudine, & Christi pro eo passi fructuosa passione, se tandem moriturum, & cætera huiusmodi. Quæ cogitatione salutis initium factum est nobis. Initium enim salutis cognitio peccati. Eam autem primam cogitationem bonam, omnia bona opera præuenientem solus Deus in nobis operatur, non per nos nec nobiscum, quia ad eam habendam nihil facimus: sed eam merè gratis nobis immittit, dum peccatum no-

Gratia Dei specialior ad resurgendum.

Gratia Dei generalis ad resurgendum.

Deus peccatorem præueniens. Initium salutis notitia peccati.

H s strum



strum oculis nostris obiicit. In quo dum nos præuenit, salutem nostram solus operatur: ea tamen lege, vt ei operanti cooperemur quo ad velle & perficere: præuenientemque subsequamur & comitemur, & adiutori nostro simus coadiutores.

Liberum est homini velle vel nolle pœnitere.

Opus resurgendi à Deo & voluntate.

Voluntatem nostram mouet & excitat, & vt eam adiuuet, præparat, dum in ea bonam cogitationem seminat. Sed quia voluntas nostra libera est, & pro sua ingenita libertate, nulla vi cogi potest, & nulla necessitate: sed bonum nolle, & malum potest velle. Idcirco liberum ei est, præuenienti Deo & per bonum cogitatum ad pœnitentiam excitanti, dare vel negare consensum, velle vel nolle pœnitere. Quod velle ne à sola quidem est voluntate, sed illud nobiscum operatur Dominus, dum immutando maleuolam voluntatem, eam facit beneuolam & suæ voluntati consentientem. Voluntatem quidem nostram Deus immutat, & sic operatur: sed quia inuita mutari nequit, Deo cooperatur, dum ei consentit. Quoniam autem qui dedit velle, pro bona voluntate dabit & perficere: idcirco ne inaniter velimus, sed possimus implere, quod animo concepimus, in nobis, per nos & nobiscum pœnitentia, opus operatur, & perficit Dominus: exteriorique nostro opere internus ipsius opifex innotescit, qui voluntatem ad actum perducit. Operis ministri sumus per effectum, & Dei operantis socii per consensum: Deus voluntatem nostram applicat operi, & opus explicat nostræ voluntati. Opus quidem pœnitentiæ,

id



id est, contritionem, confessionem, & satisfactionem.

Tria hæc igitur, bonum cogitare, velle, & perficere, ex Deo sunt. Primò quidem voluntatem nostram præuenit & excitat torpescentem, vt lapsum suum norit: postea adiuuat nolentem, vt resurgere velit: postremo adiuuat volentem, vt resurgere possit. In primo solus est Deus, qui voluntatem præuenit, in duobus aliis eam prouehit comitatúrque: & quòd à sola Dei gratia incipitur, ab eadem & voluntate nostra perficitur. Sic tamen, vt mixtim, non sigillatim, simul, non vicissim: nec partim gratia, partim voluntas: sed sic vt singula opere indiuiduo operentur totum velle, & totum perficere. Solus Deus author est salutis, quam voluntas accipit, dum Deo consentit præuenienti, ipsique cooperatur eam operanti. Tam esse non potest salus absque consensu accipientis, quam absque gratia dantis. Sicut non sufficit voluntas hominis, nisi adsit gratia Redemptoris; ita non sufficit gratia Redemptoris, nisi adsit voluntas hominis. Quæ gratia gratis quidem datur, non secundùm merita nostra, alioqui gratia non esset gratia, quia gratis non esset data. Hac gratia gratis non præueniente, & postea nobiscum cooperante, nostra à peccatis resurrectio perficitur, & sic salus nostra Dei gratuitum est donum: quia verò non fit sine voluntatis nostræ assensu, nostrum fit meritum: quod ex sua misericordia Deus ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Et pro eo reposita nobis est & reseruata apud Deum corona

Epilogus prædictorum.

Notandum.

Homo cooperatur in sua iustificatione.

Gratia.

Corona iustitiæ.  
2. Tim. 4.



rona iustitiæ, quam reddet nobis Dominus iustus index in die reuelationis iusti iudicii sui. Reposita quidem nobis est corona iustitiæ, non nostræ, quia cum bona voluntas nostra (de qua omne meritum pendet) nobis principaliter à Deo sit, nos autem ad rem prorsus nullam nisi ad peccandum ex nobis valeamus, idcirco nullo bono digni sumus. Sed reposita nobis est corona iustitiæ Dei: iustum quippe est, vt reddat quod debet: debet autem ex condecencia, non ex obligatione, quidquid etiam gratis per præcursores suos nobis promisit. Pœnitentiam (inquiens) agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Promissum quidem ex misericordia, sed iam persoluumdum ex iustitia.

March. 3.

Nota.

Rom. 9.

Non est igitur volentis, neque currentis hominis, sed Dei miserentis, susceptum peccati iugum à cervicibus excutere: non quòd hominis ad opus bonum voluntas atque cursus nullius sit momenti, aut quòd id sine hominis voluntate peragatur: sed ideo tota peccatoris liberatio miserenti Deo tribuitur: qui hominis voluntatem sua gratia & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Quæ nil boni ageret, nisi eam Dei gratia adiuuaret: & cooperando perficeret, quod operando incepisset. Præuenienti Deo & bonum pœnitentiæ cogitatum inspiranti, obedit electus: quo adiutore, & diuinæ consentit voluntati, & consentientem mandat executioni. Reprobis autem Deo ad conscientiaæ ostium stanti, & per sanctas inspirationes assiduè pulsanti: non aperit,

Reprobis  
Deo vocan-  
ti resistit.

rit,



rit, non consentit, imo resistit. Vnde nil mi-  
 ram, si ille ex peccati luto resurgat, hic verò  
 in eodem obstinatè iaceat. Ille oblatam di-  
 uinæ gratiæ dexteram non neglexit, sed appre-  
 hensæ dexteræ ductu & tractu è peccatorum  
 facibus emerfit. Hic verò dudum oblatam  
 divinæ gratiæ dexteram (quam Dominus non-  
 dum retraxit, sed ne retrahet quidem: donec  
 peccator in hoc viuet mortali corpore) appre-  
 hendere neglexit, & adhuc negligit: sicque in  
 peccatorum, suorum facibus remansit. Ille in  
 peccati corruerat foueam, ad quem dimisit Do-  
 minus gratiæ suæ funem, eum delapsum appre-  
 hendit, & mordicus tenuit, sicque Dominus  
 eum extrahit. Hic in peccati foueam pariter  
 corruit, ad quem dimisit Dominus gratiæ suæ  
 funem, quem nondum retraxit, eum tamen  
 apprehendere neglexit, & adhuc negligit? sic-  
 que miser & miserabilis, in peccati fouea re-  
 mansit.

Cur vnus  
 resurgat, &  
 alter non.

Et sicut sedula nutrix paruulum suum non-  
 dum per se ingredi valentem, dirigit & susti-  
 net ambulans: quoad vsque per se possit in-  
 gredi, & firma vestigia firmare. Sic Dominus  
 Deus (qui nemini negare se potest, sed magis  
 laborantibus, magis esse solet propitius) in ipso  
 conuersionis initio de pœnitente quædam to-  
 lerat infirma, & misericordiæ suæ oleo eius li-  
 nit vlcera: ne ipsi morbi quantitas, vel cura-  
 tionis, vltra quàm expedit, innotescat difficultas.  
 Idque facit quatuor modis: homini enim ad  
 eum per pœnitentiam conuerso, tamen ex con-  
 suetudine adhuc peccatis obligato: quando  
 que

Specialis  
 gratia Dei  
 erga con-  
 uersum.

Quatuor  
 modis gra-  
 tia Dei con-  
 uerso subue-  
 nit.



que misericorditer quasdam immittit tribulationes, quæ pœnitentis mentem occupent, & alioqui obrepentem peccati delectationem expellant. Quandoque subtrahit recidendi opportunitatem, nec tentari patitur hominis infirmitatem. Quandoque donat virtutem resistendi tentationibus, quas viriliter resistendo sentiat, nec tamen eis consentiat. Quandoque affectionem sanat: vt non solum ei non consentiatur, sed ne etiam sentiat.

Specialis  
gratiæ sub-  
trahio.

Peccatori autem gratiam eius negligentem, & bonam inspirationem sequi nolenti: gratiam quidem suam non dat tam abundanter, vt prius, eam tamen, quamdiu in hac vita est, non subtrahit funditus: quia ad conscientiam eius ostium stat, & per bonam cogitationem pulsatur: vt torpescentem voluntatem excitet, & ad bene velle initiet. Sed sapius aliquod speciale subtrahit auxilium, vt infirmitatem corporis, damnum in temporalibus bonis, & similia, quæ miserum peccatorem attrahere possunt ad pœnitentiam. Et sapius temporalem prosperitatem dat iratus, quam dare noluit propitius. Peccatorem quoque id permittit agere, quod ne cogitatione quidem debuit concipere. Veluti Medicus, quidquid ars potest ad depellendum morbum expertus, vbi videt agrotum omnia pharmaca respuere, eum suo morbo relinquit, tanquam qui nolit viuere, & quia sanari posse desperat, concedit, vt omnia quæ concupiscit, accipiat: ei verò, quem sanari posse credit, multis interdicit, quæ appetit. Sic Deus aut aperto, aut occulto, tamen semper iusto suo

Medicus  
ægroto suo  
omnia per-  
mittens.  
Simile.



suo iudicio, peccatorem permittit tradi secun- Rom. 1.

dum desideria & sensuales affectus cordis sui:  
in sensum quoque reprobum, peruersumque  
iudicium tanquam in manus crudelis Domini,  
vt faciat ea, quæ non conueniunt. Non quòd

Deus inclinet affectum eius in malum, sed quia  
gratiam suam subtrahit, qua posset conuerti in  
bonum. Eum quoque aliquando permittit &

peruersè agere, & tamen feliciter viuere: nec  
infert furorem suum, nec vlciscitur valde sce- Tempora-

lus: nec peccata temporaliter vindicat, sed  
æterna damnatione vindicanda reseruat: quo lis prosperi-

quid peius? magna enim ira est, dum pecca- tas perni-

toribus non irascitur Deus. Aliquando etiam ciosa.

Dominus nonnulla percutit, vt peccator ad- Iob. 15.

huc viuens ex iis à ventura ira fugere discat:  
nonnulla inulta relinquit, vt pro iis adhuc iu-  
diciu[m] sibi restare sentiat. Hic nonnunquam  
ferire inchoat, quod æterna damnatione con-  
summat. Et dum peccator pro peccatis hic  
iustè affligitur, iam ex hac vita inferos suos pa-  
titur: quòd si Deus cuncta hic vindicaret, ex-  
tremum iudiciu[m] ad quid restaret?

Ex prædictis potes colligere, frater cha- Deus nemi-

rissime, Deum nulla passibili ira in te affectum, nem dere-

& priusquam te dereliqueret, à te dereli- quit, nisi

ctum: nec per eum stare, quò minùs per pœ- prius ab eo

nitentiam à peccatis tuis resurgas: sed per vo- derelictus.

luntatis tuæ obstinationem, quæ Dei post ter- Augustinus

gum monentis non vult audire vocem, nec Augustinus

subsequi præuenientem eius gratiam. Qui fe- Augustinus

cit te sine te, non saluabit te, sine te Sol pul- Augustinus

sat fenestras, tantum opus est ei aperire, & in- Augustinus

trabit. Augustinus



trahit. Igitur inculcare Deum noli, sed te  
 ipse coërce: in Deo etenim, qui iustus est in  
 omnibus viis suis, & sanctus in omnibus o-  
 peribus suis, nihil est quod reprehendas,  
 quod increpes aut arguas. Veluti oblongam  
 mensam solus ferre non potes: quòd si alius  
 quispiam ad eam subleuandam vltro se tibi of-  
 ferat adiutorem, & manum admouere nolis:  
 tibi soli imputandum est, quòd mensa suble-  
 uanda non est. Et veluti si ex corporis debi-  
 litate per te ingredi nequeas: alter autem quis-  
 piam manum tibi porrigat, vt humi decubantem  
 subleuet, ambulantemque sustineat & de-  
 ducat; tu verò torpescens humi malis iacere,  
 quàm te in vllò iuuare: non ille, sed tu so-  
 lus culpandus es, si semper languescens humi  
 iaces. Dominus se tibi vltro offert, se tibi pa-  
 ratum exhibet, vt grauissimam peccatorum  
 tuorum tollat sarcinam, & dirigat gressus tuos  
 in viam rectam. Tu tantùm saluari velis, &  
 ab eo saluaberis: ei salutem tuam operanti  
 præueniendo, cooperari consentiendo. Sed vt  
 credo saluari non vis, quòd obstinatus &  
 induratus es in pecca-  
 tis tuis.

Mensa ob-  
 longa.

Simile.  
 Ambulare  
 non potens.





QVO MODO DE PECCATO IN  
PECCATVM PECCATOR DELA-  
BITVR, ET IN PECCATIS SVIS  
OBDVRATVR.

CAP. II.

**P**ostquam multum diuque patiens & longanimis Dominus te peccantem expectauit, vt redires, non redeuntiatque contemnti dedit, vt in grauiori impingeres: nam dum curare parua negligis, paulatim decidis, & vsu cuncta leuigante insensibiliter seductus, etiam maiora audenter committis. Dum lingua ociosa verba moderari negligit, ex assuetate remissione capta audax ad noxia prorumpit: & dum gulæ incumbitur, protinus ad leuitatis insaniam deuenitur. Veluti ex graui quapiam agritudine plerumque accidit in aliam corruente, eumque qui graue aliquod onus portat, facile cadere: sic peccati onus, quod statim penitentia non excutitur, ipso suo pondere mox ad aliud peccatum trahit: alteriusque peccati est causa, cuius posterius peccatum est poena. Sicut & vir iustus ascendit de virtute in virtutem, & ex bono opere alterius boni operis sumit occasionem. Tribus autem modis peccatum potest esse causa alterius peccati: aliquando ex ratione causæ finalis, vt dum homicidium proptet avaritiam committitur: aliquando ex ratione causæ materialis, vt dum ministrando materiam, gula ex se inducit ad luxuriam. Inanis gloria dum vani nominis ambit potentiam, ne quis præueniens hanc

Peccatum  
causa pec-  
cati.

Peccati onus  
peni-  
tentia non  
excussum  
suo pondere  
ad aliud  
peccatum  
inclinat.



adipisci valeat, proruit in inuidiam: & dum ex inuidiæ vulnere animus sauciatur, amissa mansuetudine in iram deuoluitur. Aliquando ex ratione inueteratæ consuetudinis, vt dum ex multis peccatis acquiritur consuetudo ad simile peccatum inducens.

Peccatum  
pœna pec-  
cati.

His tribus modis cadendo de peccato in peccatum, peccator in abyssum corruit peccatorum: iustoque suo iudicio omnipotens Deus cor eius obnubilat, vt præcedentis peccati merito, etiam in alia corruat: vt qui per pœnitentiam noluit peccatum suum mundare, peccatum incipiat peccato cumulare, & in sordibus existens adhuc sordescere. Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, peccatum simul est, & causa alterius peccati: quia ex eo oritur, vnde adhuc peccatoris animus altiùs obligetur. Peccatum verò quod ex peccato nascitur, peccatum simul est, & pœna peccati præcedentis, & aliquando etiam causa alterius peccati sequentis. Sic in hac vita peccata peccatis vindicantur, & supplicia peccantium non sunt tormenta, sed incrementa vitiorum: facilitas quoque peccatorum perpetratorum pœna fit peccatorum præcedentium. Quorum omnium vltima pœna est ignis æternus, seu ignis infernus. Peccator tamen in peccatis suis induratus, ex insensibilitatis suæ duritia istis se puniri ignorat: quoadusque manifesto supplicio senserit nolens, quantum mali sit, quod perpetravit volens. Vnde Psalmista: Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam. Vnde etiam

Psalm. 68.

alius



alius Propheta: Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Sanguis sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, & ante Dei oculos multiplicatis iniquitatibus anima vulneratur, fitque sibi ipsi grauis. Quam districta sunt iudicia tua, Domine? quam grauis peccati pœna multiplicatio peccatorum? grauior certè quauis temporali pœna, grauior etiam ipsa gehenna.

Osee 4:

Sanguis sanguinem tangit quid?

Voluntas quæ primùm à Deo se auertit, peccati initium est, per peccatum gratia Dei negligitur, ex cuius negligentia homo in peccato continuatur: ex continuatione in peccatis confirmatur, & ex confirmatione obduratur. Sicque in peccatorum profundum lapsus non solum Dei auxilium requirere negligit, vt resurgat: sed etiam diuinis inspirationibus resistit, vt in peccatis permaneat. Deus similiter ipsi resistens, à culpa non liberat, sed multa dona gratiarum subtrahit, in grauiora peccata labi permittit, & aliquando temporaliter, tandem etiam æternaliter punit.

Lapsus in profundum peccatorum. Peccatorum mala multiplicatio.

Ex quibus colligendum non est, Deum (qui amat iustitiam, & odio habet iniquitatem) ad peccandum peccatorem cogere, sed eum in peccatis suis relinquere: cui propter præcedentia peccata certa dona gratiarum subtrahit, ipsam quoque iustificationis gratiam cooperari nolenti non concedit. Cuius gratiæ effectus cum sit cordis mollificatio, ea subtracta sequitur cordis obduratio. Sicut de Pharaone

Obduratio cordis.



Exod. 4.  
Quomodo  
Deus dica-  
tur cor ob-  
durare pec-  
catoris.

dicit Dominus, Ego indurabo cor eius. Cor peccantis Dominus non obdurat: sed sicut qui magnæ alicuius molis tollit sustentaculum, ei ruinam dedisse dicitur & casum: ita & Deus peccatorem obdurare dicitur, quia ab obduratione non liberat. Non obdurat quidem Deus impertiendo malitiam, quòd ab eo erogetur aliquid, quo reddatur homo deterior: sed tantùm non impertiendo misericordiam, quòd ab eo nihil erogetur, quo reddatur homo melior. Cuius non miseretur, nec dignus est, nec meretur: ac potius ne eius misereatur Dominus, hoc dignus est, hoc meretur. Deus peccatoris gratis miseretur, magna bonitate bona tribuens, secundùm gratiam quæ gratis datur, non autem operum naturæ & valori ex se redditur. Obdurat verò nulla iniquitate digna debite retribuens, secundùm iustum iudicium suum, quod meritis redditur. Miseretur quorum vult, & misericors est: quòd si obdurat, iustus tamen est: dum peccatoris cor reprobum, expers pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis: gratia sua non emollit, sed in obduratione sua perseverare permittit, sine cuius permissione nihil fit. Difficilis prorsus res, & soli diuinæ virtuti possibilis cor durum emollire: quod nec ex patientia & longanimitate Dei ad pœnitentiam emollitur, nec compunctione scinditur: quod nec frangitur timore, nec emollitur amore: sed sicut flagellis, ita & induratur beneficiis: denique quod nec Deum timet, nec hominem reueretur, Quis cordis illius scindat duri-

Cor durum.

duri-



duritiam, nisi qui passione sua petras scidit? Matth. 27.  
 quis auferet cor lapideum, & dabit cor car- Iac. 1.  
 neum, nisi à quo omne datum optimum, &  
 omne donum perfectum? Nemo duri cordis  
 salutem vnquam adeptus est, nisi fortè mi-  
 serans Deus abstulerit ab eo cor lapideum,  
 & dederit ei cor carneum. Magno pecca-  
 tori magna opus est misericordia, vt vbi  
 superabundauit peccatum superabundet &  
 gratia.

Sed misericors Dominus, qui facturam  
 suam iniuste non perdit, quam tanto pretio  
 gratis redemit: eam in hac vita nunquam adeò  
 deserit, tametsi in peccatis maximè obduruit, &  
 in profundum peccatorum corruit: quin ei  
 communem resurgendi gratiam, id est, bonas  
 cogitationes, & aliquando etiam specialio-  
 rem misericorditer tribuat. Deus cor Pharaonis in- Pharao  
 durauerat, & tamen voluntate sua anteceden- inuitatur ad  
 te, qua dat media, vt aliquid fiat, cum sal- pœniten-  
 uare volebat, dum tot miraculis eum ad pœ- tiam,  
 nitentiam inuitabat: iamque fractus malis cœ-  
 perat resipiscere, dum vocauit Moysen & Aaron, Exod. 9.  
 dicens ad eos, Peccaui etiam nunc; Domi-  
 nus iustus, & ego & populus meus impii. Ve-  
 rum vbi salutaris pœnitentiæ rursus impia pœ-  
 nitentia ductus, populum Dei dimittere noluit:  
 nec tot tantisque miraculis commotus, ab eo-  
 rum persecutione destitit; sed vindicta cæcus,  
 diuiso mari sese credere est ausus. Deus sum- Exod. 14.  
 ma sua misericordia, deploratæ malitiæ finem  
 impositurus, eum cum suo exercitu in mediis  
 oppressit fluctibus: vt quando sanari non pos-



Differen-  
ter Deus  
vult omnes  
saluos fieri.

Sapient. 1.  
Ezech. 18.

Matth. 11.

set, saltem citius interiret, ne si diutius in peccatis viuere permetteretur, eius damnatio in dies magis magisque augetur. Sicque misericors Dominus, omnes vult saluos fieri, differenter tamen: quia hominem in gratia existentem sic vult saluare, vt si in tali statu decedat, eum saluet; peccatorem verò etiam saluare vult, non quòd eum saluet, si sic decedat, sed quia paratus est eum iuuare, vt à peccatis suis resurgat: si eum præuenientem subsequatur, & salutem eius operanti cooperetur. Non enim per peccandi consuetudinem adedò debilitata est liberi arbitrii ad opus bonum potentia: quin cum auxilio Dei, seruida oratione, & magno ad opus bonum potentia, quin cum auxilio Dei seruida oratione, & magno ad opus bonum conatu possit sanari. Fidelis enim Dominus qui mortem non fecit, nec lætatur in perditione animarum, nec vult mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur & viuat: qui cupit peccatores pœnitentiam agere, & peccata denuo ad vitam redire. Non patietur nos tentari, vltra quam possumus, sed faciet cum tentatione prouentum, vt resistere possimus: & quantò fragiliores sumus, & in maiori necessitate, tantò magis paratus est nos iuuare, nisi per nos steterit, sicut, & in vrbis obsidione illuc mittitur densior corona militum, vbi violentior est impetus hostium & muri debilius munimentum. Fidelis Dominus seipsum negare non potest, qui dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Nam



Nam veluti Medicus ab eo, qui phrenesi laborat, iniurias patitur, nec tamen ex hoc irascitur, sed facit omnia, quæ medendi ratio deposcit, quibus cruciatur quidem ægrotus, sed cruciatus ille non est iniuriarum vindicta, imò languentis cura. Quòd si ægrotus cœperit conualescere, statim videas Medicum gaudere, lætiùsque & alacriùs reliquam curam exequi, suarúmque iniuriarum obliuisci. Quanto ergo magis Dominus Deus noster, cui proprium est misereri semper & parcere: qui cum tranquillitate iudicat, & cum magna reuerentia disponit nos: cum in vltimam inciderimus demerentiam, vltionis affectu pro iis, quæ commisimus, non mouetur in nos. Et cum sit impassibilis: non cum ira passibili, sed cum clementia ineffabili, nostra peccata hic temporaliter punit medentis, non punientis affectu: nec propter semetipsum quasi suam vlciscens iniuriam (nihil enim tale in se recipit diuina natura) sed pro vtilitate & correctione nostra: non vt se vindicet, imò vt nos emendet. Velut mater beneuola, delinquenti filio irascitur, reprehendit, increpat, verberat: quæ si in præceps ire conspexerit, vbi periculum mortis immineat, porrigit manum, & cadentem seruat, & quæ irata verberauerat, quasi non diligeret: sic diligenter retinet, ac si irata non verberasset. Haud aliter Deus sic peccata insequitur, vt peccantes protegat: & plerunque misericorditer, temporalem adhibet seueritatem, ne æternam iustè infligat vltionem. Quòd si persistit quis in duritia sua, & cum Pharaone in ipsis flagellis

Simile.  
Phreneticus  
Medico suo  
conuicians.

Sapient. 18.

Deus iræ  
impassibilis.

Mater filium  
cadentem  
retinens.  
Simile.



Arbor in-  
fructuosa.  
Simile.

Voluntas  
Dei con-  
sequens.

Legislator  
filium con-  
demnans.

Omnes in  
Adam mor-  
tui sunt.

Salus gra-  
uita.

gellis durior efficitur, & ab immobilitatis suæ obstinatione non emollitur: Dominus eum, quem ad conuersionem diu expectauerat, non conuersum, æternæ morti iustè adiudicat. Veluti hortulanus in horto suo plantat arborem, non vt excidatur, & in ignem mittatur; tamen dum post longam expectationem, eam videt nullum fructum producentem, excidit eam, & mittit in ignem; Haud secus misericors Dominus, peccatorem nullum boni operis fructum producentem è terra viuentium excidit, & in gehennæ inextinguibilem ignem detrudit. Cuius quidem vult mortem ratione commissi peccati, non ex se, sed voluntate consequente, qua aliquid vult propter aliquid iam factum, vel ab æterno præuisum, & hac voluntate omnes reprobos ab æterno voluit damnare, quos postea voluntate antecedente voluit saluare: omni via omnibusque mediis, dando eis occasionem consequendæ salutis. Sicut legislator omnis ciues suos vult esse bonos & pacificos: nec ab iis vult ea crimina patrari, quæ sub pœna suspendii interdixit fieri; tamen filii sui (alioqui charissimi) latæ legis transgressoris vult mortem; quem vellet non peccasse, vt nihil plectendum in eo posset inuenire.

Prima illa natura (quæ in primis parentibus tota erat) ex eorum peccato tota corrupta est: totaque iustitiam & immortalitatem perdidit: vnde non nisi corruptos, iniustos, & mortales filios generare potuit: qui omnes vt in Adam peccante peccauerunt, ita & in eodem moriente mortui sunt. Ex quibus Deo gra-

gra-



gratuletur quisquis euasit: mortem quippe debitam euasit, & vitam non debitam reperit, liberato indebita exhibetur misericordia, vnde gratias Deo agat: damnato verò debita exhibetur iustitia & pœna, vt in Deo nihil reprehendat. Vt nec ille dignum se gloriatur, nec hic indignum se queratur. Quo modo enim accusabitur iudex Deus, quando iustè damnatur peccator reus? quando debitum exigitur, exactor iustè non reprehenditur. Sic neque remittendo neque exigendo quod debetur, Deus iniustus est, apud quem iniustitia esse non potest. Ibi enim gratia est indulgentia, vbi iusta posset esse vindicta, vt inde euidentius appareat à pœna debita liberato & gratis iustificato. Quantum beneficii in se conferatur, quòd alter, cui aliquando æquè reus fuerat, sine punientis iniquitate iustè punitur. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?

Ex prædictis potes colligere, frater charissime, quo modo de peccato in peccatum corrueris, & longo vsu in iis indurueris: te quidem id operante, & Deo specialem gratiam suam subtrahente. Patiens & longanimis Dominus te sustinet, tolerat, & ad pœnitentiam expeccat: paratus tibi auferre cor lapideum, & dare cor carneum, tuæque insensibilitatis durtiam, gratiæ suæ rore emollire. Et cum omnibus sit præsidens, omniumque curam gerat: & omnibus quasi singulis sit prouidens, omnes-

Damnatio  
iusta.

Rom. 11,

Deus paratus nos iu-  
uare.



que sua prouidentia dirigat: ita tamen totum ad custodiam tuam videbis occupatum, si super custodia tua steteris, & ei salutem tuam operanti, cooperari volueris, quasi intendere velit ad te solum tibi præsens & paratus veniet, si te paratum inueniet. Tantùm recede à malo, & fac bonum: age pœnitentiam ab omnibus peccatis, quæ operatus es, & custodi omnia præcepta Dei, & vitâ viues, nec morieris. non est voluntas Dei, mors tua, sed vt conuertaris à viis tuis, & viuas. Noli diuinæ bonitatis & patientiæ thesauros contemnere: voluntas enim Dei ad pœnitentiam te prouocat, & ad vitæ tuæ emendationem inuitat, duritia autem tua (qua in peccati pertinacia perseueras) futuri iudicii auget seueritatem, vt tuorum delictorum dignam accipias retributionem. Malus igitur cum sis, & tam bonum patrem habeas, non semper malus remaneas. Anima tua in manibus tuis est, huic, si pœnitentiam egeris, certissimam pollicere salutem: si verò cum Pharaone in obduratione tua persistis, certissimam expecta damnationem.

QVOD NULLVS EST TAM  
MAGNVS PECCATOR, QVIN CON-  
VERTERE EVM POSSIT OMNIVM  
CREATOR.

*CAP. III.*

**A**T dixeris, Ex eo, quodd peccatis assuetus sum, vitam meam mutare non possum, nec ab iniquitate mea conuerti. Iuxta illud



illud Hieremiæ decimo tertio, Adolescens iuxta  
viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab  
ea: canis vetus non potest teneri in vinculo: Difficile eam  
nem verum  
lum assue-  
scere loro.  
nunquam potest Aethiops mutare pellem suam,  
aut pardus varietates suas: sic nec vos pote-  
ritis benefacere, cum didiceritis malum. R.

Fateor, frater charissime, quod difficile est in- Difficile est  
assueta re-  
linquere.  
ueteratum dierum malorum fieri iuuenem die-  
rum bonorum: quod visitata culpa ita obliget  
mentem, ut vix vnquam surgere possit ad re-  
ctitudinem. Tamen ne diffidas, ne desperes,  
ne deficias: si aut cupiditate victus, aut libidi-  
ne impulsus, aut errore deceptus, ad iniustitiæ  
viam lapsus es, quia in viam rectam reduci, &  
à peccato liberari potes. Fuerunt alii quam- Multi ressi-  
puerunt.  
plurimi grauissimi peccatores, qui commutan-  
te dextera Altissimi, à vitiis, quibus in adole-  
scentia assuefacti erant, in senectute mutati  
sunt, & in optimos mores de pessimis transie-  
runt: de famulis iniquitatis, famuli facti sunt  
veritatis. Ex ebriosis sobrii, ex crudelibus mi-  
sericordes, ex rapacibus largi, ex superbis hu-  
miles, ex incontinentibus casti, ex negligentibus  
diligentes: & quos viles fecerat concu-  
piscencia carnalis, speciosos effecit gratia spiri-  
tualis. Ut postea libenter iniurias tolerarent,  
quas prius irrogare gaudebant: ut postea etiam  
sua tribuerent, qui prius aliena rapiebant: ut  
postea carnem suam per abstinentiam afflige-  
rent, qui prius in omnia carnis desideria dif-  
fluebant: ut postea etiam persecutores suos di-  
ligerent, qui prius eos amantes redamare no-  
lebant.

Nabu-



Nabücho-  
donosor,  
Danielis 4.

Magdalena.

Matthæus.  
Dylmas.

Paulus.  
Actuum 8.

Lapsus iu-  
storum, ma-  
xima est  
spes pecca-  
torum.

Nabuchodonosor Rex Babylonis, post ef-  
ferationem corporis & belluarum in eremo  
conuictum mentem recepit sanam: post innu-  
meras impietates flagellatus pœnituit, pœniten-  
tiam fructuosam meruit, & regnum quod per-  
diderat, recepit. Maria Magdalena post va-  
rios lapsus humanæ fragilitatis, per veram pœ-  
nitentiam in Christi amorem sic est accensa,  
vt subito meretrix & adultera, arrogans &  
superba, mutatione dexteræ Excelsi, castissi-  
ma facta sit & humilima. Matthæus ex  
publicano Euangelista factus est: & latro  
ex sceleratissimo Christianissimus, & paradisi  
colonus. Dum Stephanus consentiente, imò  
adiuuante Paulo lapidaretur: tunc Stephanus,  
erat omnino bonus, & Paulus omnino malus;  
& tamen in conspectu Dei Paulus non solum  
in merito, sed etiam Stephano præpendus  
erat in præmio. Nam postea ex persecuto-  
re Apostolorum factus est Apostolus gentium,  
& qui prius blasphemus fuerat & persecutor,  
humilis postea factus est, piusque prædicator.  
Non quæruntur in Christianis initia, sed finis:  
hi malè cœperunt, sed bene finierunt: iudæ  
initium laudatur, sed finis prodicione damna-  
tur: de Apostolatu lapsus est in tartarum, la-  
tro autem de patibulo transiit in Paradisum.  
Quid plura? Spiritus sanctus non solum San-  
ctorum benegesta, sed etiam ipsorum memo-  
rauit malè acta: vt lapsus iustorum maxima  
sit spes peccatorum: vt dum iustum peccasse  
legeris & pœnituisse, iam non desperes de tua  
salute.

Sæpè



Sæpè videmus sordidatos improprio peruenire ad honorem, & ferrum rubigine obductum in pristinum reformari splendorem: aurum, argentumque flammæ disciplina purgari, & arbores truncatas amœnis frondibus iterum, ornari, sterilia reuocari ad fœcunditatem, & in maximam commutari frugem. Mercator post merces tempestate amissas, iterum sulcat maria, & ad solita reparatur exercitia: non desperat, non deiicitur, non diffidit, & plerumque plus recuperat quàm amisit. Post desperatam ægriitudinem multi consequuntur sanitatem: ita & post deploratam malitiam multi animæ suæ consequuntur salutem.

Illud autem Hieremiæ, Adolescens iuxta viam suam, &c. ideo dicitur: quia quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu, & natura tenaciores sumus eorum, quæ primis annis didicimus. Non quod semper ita eueniat, sed vt dum vnius cuiusque adhuc mobilis est ætas, & animus ductu facilis, à prima statione ætate incipiat virtutibus studere, & optimis rebus ingenium suum occupare, ne fortè iam senex difficulter possit deserere vitia, quibus sese mancipauerat ab adolescentia. Aethiops non potest per se pellem suam dealbante, nec pardus varietates suas mutare: sic qui per te in peccatum cecidisti, per te non potes adiicere, vt resurgas, nisi Deus, qui suscitauit à terra inopem, & de stercore erigit pauperem, auxilium suum tibi porrigat dexteram. Quo dexteram porrigente, quidquid voles, potes efficere, non tu quidem, sed gratia Dei, quæ in te est.

Quid

Deteriora  
reparantur  
in melius.

A puero  
virtuti in-  
cumben-  
dum.

Natiua in-  
clinatio  
ægerrimè  
corrigitur.

Ægerrimè  
deducitur,  
quod à pue-  
ro didici-  
mus.

Psalm. 112.



Deus potest,  
quantum li-  
bet, pecca-  
torem iusti-  
ficare.

Quid enim ad salutem non possit reparare, qui potuit ex nihilo omnia creare? apud eum possibilia sunt omnia, quæcunque apud homines sunt impossibilia, ei non minor est potentia, quàm voluntas: si vult, potest te mundare: qui vt medetur sine pretio, ita salutem restituit solo verbo. Si desperas de tua ægri- tudine, præsume de Medico omnipotente: maior est potentia Medici, quam magnitudo tui morbi: magnitudinem morbi tui vides, & potentiam Medici non vides: maior eius est potentia ad conuertendum voluntatem tuam in bonum, quàm inueterata peccandi consuetudo, ad subigendum eam in malum.

Si potuit diabolus à celsis virtutum fastigijs in profundum malorum te demergere, quantò magis poterit Deus te ad summum bonorum verticem reuocare? & non solùm in id, quod fuisti, te restituere, sed etiam multò beatiorum quàm prius efficere, tantùm ne animo concidas, & ne salutis spem tibi abscindas. Pro omnium peccatis satisfecit, totius mundi peccata sustulit, quantò magis vnus hominis peccata tollere poterit? Cùm non esses, fecit te, in iniquitatibus conceptum mundauit baptis- mate: post quod te inquinatum quantò magis poterit mundare? Accepit limum terræ, & hominem formauit: dicito mihi, quo modo de terra carnem fecerit? quo modo neruos? quo modo ossa? quo modo cutem? quo modo venas? quo modo oculos? quo modo singula operatus sit membra? Nónne terra erat, quod iacebat? nónne vna substantia? tan- tum

Opera Dei  
incompre-  
hensibilia.



tum introiuit artificis virtus, & variam creaturam est operatus. Sicut dicere non potes, <sup>simile.</sup> quo modo creatus es: ita nec dicere poteris, quo modo curaberis. Vt enim ignis, cum in vepres & spinas immissus fuerit, fragilem materiam comburit: ita & bonitas Domini Dei nostri peccata extinguit, & radicitus auulsa consumit. Neminem vult perire, sed magis conuerti & viuere.

Ignoras quam bonus sit Deus, quam suavis & mitis, & quantæ misericordiæ? grauem & seuerum imaginaris, qui pius est: durum & implacabilem, qui misericors est: ferum & terribilem, qui amabilis est, & tua sibi ipsi mentitur iniquitas. Hæc enim est voluntas Dei, sanctificatio tua, qui sanat contritos corde, qui omnes laborantes tribulatósque ad se venientes reficit: & inter conuersionis initia oleo suæ misericordiæ peccatorum linit vlcera: ne morbi quantitas, aut curationis, vltra quàm expedit, innotescat difficultas. De quo Esaias, <sup>Esaiæ 55.</sup> De-  
relinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius: & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Ecce, <sup>Inchoandum est.</sup> sufficit tibi ad placandum Deum quiescere peruersè agere, & discere benefacere. Tantum agnosce, quia peccasti, & correctionis initium iam factum est tibi: tantum sume initium aliquod <sup>Auxilium Dei.</sup> melioris vitæ, & æternæ vitæ desiderium accipe: in hoc est tota difficultas, vt pœnitentiæ viam ingredi incipias: & statim aderit tibi Deus, <sup>Esaiæ 40.</sup> te non deseret, nec derelinquet. **Quinimo**  
quæ



quæ præueniendo in te inchoauerit, prosequendo consummabit: qui tibi dederit velle, dabit & perficere pro tua bona voluntate. Si in eo speraueris, fortitudinem mutabit: renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua: assumes penas sicut aquilæ, cures, & non laborabis, ambulabis, & non deficies: quia tecum erit Dominus, qui consolabitur te in tuis tribulationibus. Nemo est cuius animam corruptibile corpus, & inhabitatio terrena non aggrauet: sed nitendum tibi est, vt carnis cupiditates spiritus tui vigore superes, & qui semper tibi sentis à concupiscentia tua resisti, semper de diuino auxilio expectes adiuuari. Sicut terra de cælo expectat pluuiam & lucem, ita & tu ex Deo debes expectare misericordiam & gratiam.

Itaque, frater charissime, cum Medicum habeas & valentem & volentem te sanare, & ab omni peccati inquinamento mundare, ne id negligas, aut differas, tuam non spernet penitentiam, si ipsi ex animo offeras eam. Etiam si ad summum malorum deueneris, & indereverti velis, te libenter suscipiet & amplectetur, tuæque animæ ægritudini medebitur: tantum ne desperes, quin tibi sit reditus ad prioris innocentiae statum, si modò vitæ melioris sumas initium.





QVOD VOLVNTATIS MAIOR  
EST POTENTIA IN BONVM, QVAM  
INVETERATAE CONSVETVDINIS  
INCLINATIO IN  
MALVM.

## CAP. IV.

**A**T dixeris cum Paulo ad Romanos se-  
ptimo, Velle adiacet mihi, perficere au-  
tem bonum non inuenio: non enim  
quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo  
malum hoc ago. Cùm sanctissimus ille Pau-  
lus id de se prædicet, idem de me peccatore  
profiteri non pudet. Nil mirum igitur, si non  
possum declinare à malo, & facere bonum:  
quòd consuetudo peccandi, mihi versa est in  
naturam peccati: naturam expellas furca, ta-  
men vsque recurret. R. Si verba illa Pauli,  
frater charissime, sanè intelligeres, illa ad ob-  
durationis tuæ confirmationem non assumeres.  
Ne putes, quòd Paulus vas electionis vellet esse  
pudicus, & esset impudicus: vellet esse pius, &  
esset impius: vellet esse humilis, & esset super-  
bus. Sed ita illa verba intelligas, vt ex volun-  
tate legi Dei consentiente vellet bonum, id est,  
vellet prorsus non concupiscere, & nulla car-  
nali concupiscentia affici, quod bonum ex assi-  
dua rebellione carnis ad spiritum non poterat  
perficere, quamdiu in hoc corrupto & corru-  
ptibili viueret corpore: sed interim tantùm  
posset desiderijs carnis non consentire, & post  
eius concupiscentias non ire. Non dixit, fa-  
cere, sed perficere non inuenio: non enim ni-

Locus Pauli  
explanatus.



hil facit, qui dum concupiscentia contendit, ei non consentit, sed non perficit, quia non potest carnalis concupiscentia adedè amputari, quin putata repullulet, effugata redeat, extincta reaccendatur & sopita denuo excitetur. Ideoque subiungit, Quod volo bonum, scilicet non concupiscere, hoc non facio, quia semper concupisco: sed malum, scilicet concupiscentiæ, quod nolo ex voluntate legi Dei consentiente, & ex rationis dictamine, hoc ago: quia adhuc concupisco, sed non perago, non perficio, quia concupiscentiæ meæ desideriis non obedio. Ne magnitudo reuelationum extollat me: datus mihi stimulus carnis, angelus Sathanæ, peccandi nonnullum mihi mouet affectum, sed voluntas mea Deo conformis, ei non prabet assensum, & membra mea continet, ne ei relaxent effectum.

Paulus iustus,

2. Cor. 12.

Rom. 7.

Galat. 6.

Planè iam vides hinc colligendum non esse, Paulum illum gentium Apostolum non fecisse bonum opus, quod vellet, & egisse malum opus, quod nollet: sed stimulum carnis, & carnalem illam concupiscentiam, quæ ut recederet, ter Dominum rogauerat: eum colaphizare, ei que malum suggerere: mente tamen, qua legi Dei seruibat, ei nolle acquiescere & consentire: cui si consentiret, & in carnis desideria difflueret, aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ non inueniret, quia caro eius non concupisceret aduersus spiritum, nec spiritus aduersus carnem. Tibi verò, frater charissime, nulla, aut saltem exigua est rebellio spiritus ad carnem, aut carnis ad spiritum:



ritum: quia quicquid appetit carnalis tua concupiscentia, statim spiritus tuus ei præbet consensum, & si quando spiritus tuus bonum aliquod esse faciendum dicit, idque quodammodo facere velis: id tamen non facis, sed te, non alio prohibente, & quod inefficaciter non vis, malum hoc agis, sed te, non alio compellente.

Sicut enim iustus manet liberè bonus propria voluntate, non aliqua extrinseca necessitate: sic æquè liberè in malum & corruis, & persistis, tuo voluntario nutu, non alieno impulsu. Libera est voluntas tam in malum, quàm in bonum: nullum enim committis peccatum, quin ei præbeas consensum: nullus autem consensus violentus est, sed voluntarius: vbi autem voluntas, ibi libertas: vbi libertas, ibi nulla est violenta necessitas. Tuum igitur peccatum est opus voluntatis, non necessitatis: non cogitur, non extorquetur: illud velle conuinceris, quia non fiet, nisi volueris. Membrorum tuorum domina est voluntas: liberum ei est à peccati effectu membra cohibere, aut in peccati effectum ea relaxare. Potest voluntas continere, manum ne feriat, claudere oculum, ne lubrica videat, obturare aurem, ne obscœna audiat, & sistere gradum, ne ad peccandum pergat: quòd si ea exhibeas arma iniquitatis, id fit ex imperio tuæ voluntatis.

Veluti de interiori palatio quicquid iusserit Imperator, id statim à subditis in diuersis regionibus executioni demandatur: mouet solùm ille labia dum iubet, & mouetur omnis regio dum ipsa iussis paret: sic intus in cor-

Peccator liberè perfeuerat in suo peccato.

Nullum committitur peccatum citra consensum.

Voluntatis imperium.

Imperator longinquis imperans. Dum Rex aliquid iubet, tantum labia mo-



uet, & tota  
regio statim  
mouetur, &  
iussis pareat.

de tuo sedet imperatrix voluntas: quæ si bona est, bona iubet, & à membris ei subditis bona fiunt: si verò mala, æquè liberè mala iubet, & mala fiunt. Fieri enim non potest, vt in mala opera exeant cogitationes bonæ, aut in bona opera cogitationes malæ, quoniam hoc actione promitur, quòd corde concipitur.

Voluntas  
libera per-  
manens ser-  
uit peccato.

Tua igitur voluntate in peccatum deuolueris, nec aliunde cogaris. Ex qua liber permanens peccati seruus efficeris: seruus quidem, quia dum peccato obedire decreuisti, & liberè consensisti, ei te seruum fecisti; liber tamen adhuc es, quia homo es liberæ voluntatis, qui peccato voluntariè seruis. Liber es in seruitute, & seruus in libertate: non enim alio iugo premeris, quàm voluntariæ seruitutis: ex seruitute es miserabilis, & ex libertate inexcusabilis. Hæc seruitutis tuæ vis spontanea & blanditur premendo, & premit blandiendo: cuius quod vix possis iugum excutere, non facit seruitutis violenta & necessaria oppressio sed eidem voluntaria & spontanea tua subie-

Liberum ar-  
bitrium non  
est maius in  
iusto homi-  
ne, quàm in  
peccatore.

ctio. Peccato non amittitur aut minuitur voluntatis libertas, nec maior est in iusto homine, quàm in te peccatore. Remanet libertas, arbitrii, per quam remanet causa meriti & demeriti: vt aut bonus meritò salueris, qui talis ex propria voluntate efficeris, aut iussè damneris malus, qui talis esse non potes, nisi voluntarius.

Habitus  
peccandi in-

Fateor tamen, quòd ex consuetudine peccandi factus est tibi difficilior actus operis boni,



ni, & difficilius resurgere potes, quam si peccatis assuetus non esses. Tamen liberæ tuæ voluntatis maior est potentia in bonum, quam inueteratæ consuetudinis inclinatio in peccatum contrarium. Si enim à Medico tibi diceretur, quòd oculos perderes, aut in grauiorem morbum incideres: nisi tali vel tali tempore à gula & luxuria abstineres, nõne tunc abstinere posses? si tibi ad meretricem proficiscenti diceretur, inimicum tuum capitalem cum ea esse, teque vt interficeret expectare: illucne ires? aut si ex meretrice fœdum quempiam morbum scires reportare, de concubitu vellesne cogitare? Si poculo immixtum venenum scires, nõne à tali potu tibi temperare posses? pro corporis sanitate à multis abstines, & pro animæ tuæ salute abstinere non potes? Mentiris ergò, qui propter æternam vitam consequendam, æternamque mortem fugiendam, te abstinere non posse dicis, cum pro temporali incommodo abstinere possis. Si auicula, dum structas sibi insidias videt, à cibo motu naturali abstinet: & decipulam non ingreditur, ne inescata capiatur: quantò magis rationis causa & liberæ voluntatis, ab iis quæ animæ æternam inferunt mortem abstinere poteris? si multos tibi castos & sobrios ostendam, quam in peccatis tuis habebis excusationem?

Ad meliora conuerti non potes, quia non vis, quòd si velles, facilè conuertereris, sed quí fieri poterit, cum te totum tuis permittas affectibus, in peccatis tuis dormias securus. & ex peccati luto resurgere non sis sollicitus? Omnia corpo-

efficacior voluntate.

Homo mentitur egregiè, dicens se à peccatis abstinere non posse. Auicula sibi præcauens ab insidiis.

Membrá



arma iniqui-  
tatis.

Homo pec-  
cans omnia  
corporis  
membra fa-  
cile ad qua-  
uis peccata  
laxat.

Nouam vi-  
tam nemo  
ritè inchoat,  
quem vitæ  
veteris non  
pœnitet.

Notandum  
à corporis  
vulneribus.  
Corporis  
immedica-  
bilia vul-  
nera.

ris membra, quæ ad vsum vitæ accepisti ad er-  
roris materiam inclinas: oculos ad videndum  
obscœna & turpia inflectis, aures ad audien-  
das detractiones arrigis, odoratus illecebrosos  
naribus haurire concupiscis, iniquitatem lin-  
gua tua loqueris, corporisquæ sanitatem ad v-  
sum vitiorum accommodas; omnia denique,  
quibus utiliter potes, vti ad Dei seruitium, in  
pravi operis conuertis instrumentum: in car-  
nalia desideria totus diffluis, & solutus con-  
cupiscentias tuas sequeris: quibus vt resistas,  
nullam tibi vim facis, vnde nil mirum, si vi-  
tam tuam mutare non possis. Nisi enim te  
pœniteat veteris vitæ, nouam non potes in-  
choare, nisi tibi vim feceris, vitia non supera-  
bis. Membra tua iniquitati arma non exhibeas,  
ei arma tua subtrahere, quibus aduersus te  
pugnat: discet contra te non surgere, dum con-  
perit arma non inuenire.

Tantum experire, an à carnali tua conuer-  
satione, & via tua mala possis resurgere, nec  
enim tentasse nocebit. Corpori quidem si vul-  
nus euenerit, adhibes continuò medicinam, &  
in nullo animæ tuæ vulneribus medebetis? ani-  
ma tua in maiori periculo versatur quàm cor-  
pus, ideoquæ celerius esset medendum eius vul-  
neribus. Non sola corporis vulnera, sed etiam  
animæ, si negligentur inferunt mortem. Ex  
corporum quidem vulneribus plura sanari omni-  
no non possunt: quæ si accepisses, non statim  
desperares, sed in iis medicandis diligentiam  
maximam adhiberes, nec sumptibus parceres:  
& quamuis audiuisses à Medicis, ea sanari non  
posse



posse medicamentis: eos tamen vrgeres & obsecreres, vt saltem aliqua solatia exquirerent, & aliquid refocillationis applicarent. Verum in animæ tuæ vulneribus, vbi quamdiu corporis istius ergastulo detinetur, nihil est insanabile, & vbi nulla est desperandi necessitas, quasi nulla sit spes sanitatis, omiſſa penitus cura discedis, eiusque salutem ne gratis quidem habere vis?

Animæ vulnēra medicabilia.

Experire igitur, & animæ tuæ curationem aggredere: quod si non putas possibile esse, te ad primam illam innocentiam denuo reparari, aliquid saltem de gulæ & libidinis enormitate tibi refeces, & hoc tibi infructuosum non senties. Non exigo, vt repente & in instanti fias summus: non enim ambigo conuersionis initia, bonis malisque moribus esse permixta: dum & noua vita iam per intentionem agitur, & vetus adhuc ex vsu retinetur: tantò minus permixtis malis lædēris, quantò fortiùs contra ea assiduè pugnaueris: nec iam culpa suum te vindicabit, cuius prauo vsui mens tua sollicitè repugnabit: Tantùm igitur incipe, & initium meliorum accipe, conuersionisque viam lucimīs saltem vestigiis continge: tantùm à malo recede, tantùm peccare desine. Si repente ex integro ad supremum illum virtutum verticem te cogere, meritò trepidares, & difficile factu putares: cū verò id tantùm à te petam, ne in malis augeſcas, ne quotidie perditiōnis tuæ incrementa conquiras, & tantùm vt peccare desinas: quid cunctaris? cur consilio meo non acquiescis?

Tentandum est, an abstinere possis. Conuersionis initia sæpè difficilia.



Principium  
conuersio-  
nis arduum.

Principio  
obstandum.

Progressu  
res fiet fa-  
cilis.

Cum inceperis, difficile, arduum & inac-  
cessibile virtutis iter tibi videbitur: tunc tri-  
stitia implebit cor tuum, sed si perseueraueris,  
tristitia tua vertetur in gaudium: & fiet, vt  
quæ difficillima, imò impossibilia tibi videban-  
tur, cum multa dulcedine & auiditate pera-  
gantur. Ad vitia sine labore dilaberis, sed ea  
sine labore non superabis: si modicam violen-  
tiam tibi feceris in principio, postea vitia su-  
perare poteris cum leuitate & gaudio. Malæ  
inclinationi in principio resiste, voluntatisque  
tuæ duritiam coge, vt malam relinquantur  
con-  
suetudinem, ne fortè paulatim ad maiorem te  
ducat difficultatem. Vbi rem ipsam aggressus  
fueris, & vitia aliquantulum profligare cœpe-  
ris: ibi iam pavor omnis ac formido relinque-  
tur, & tristitia tua in gaudium commutabitur:  
successus operis, rem tibi faciet facilem, mi-  
ramque tibi pariet dulcedinem. Per reparata  
virtutum incrementa fortior efficieris, quod  
proxima videri iam cœperit spes salutis.

QVOD FIDELIS EST DOMINVS,  
QVI NON PATITVR NOS TEN-  
TARI VLTRA QVAM  
POSSVMVS.

CAP. V.

Recordatio  
præterita-  
rum volu-  
ptatum.

**A**T dixeris, Cum ad Deum anhelare in-  
cipio, & ad caelestem patriam me per  
desiderium extendo: prauæ quidem  
consuetudini reluctor, tamen adhuc succrescen-  
tibus desideriis carnis aggrauor, & mihi ad ten-  
tatio



tationem vertitur, quidquid in hoc sæculo amicum antea blandumque putabatur: & quæ me peccantem amare consueuerant, rectè viuere volentem crudeliter impugnant. Voluptates pristinæ ad memoriam redeunt, & me sibi resistentem graui certamine affligunt: quod in conspectu Dei per pœnitentiam deletum est, ad animum redit, & deuicta culpa ad delectationem rursus inserpit: & quod prius egi in corpore, importunâ cogitatione voluto in mente: sicque tentatione sensim deuictus succumbo, & ad vomitum redeo: fitque error nouissimus peior priore. R. Magna super te clementia, frater charissime, Dominus Deus uigilat, quòd oculis tuis peccata tua flenda representat. Neque enim pius Dominus ante oculos tuos flenda ea opponeret, si per semetipsum ea districtè ferire uoluisset: constat, quòd à suo iudicio ea abscondere uoluit, dum misericorditer te præueniens tibi ipsi te iudicem fecit: ut si te ipsum diiudicaueris, ab eoque utique non diiudicaris. Optimus modus satisfaciendi, frequens detestatio peccati. Verè pœnitens semper est in dolore & labore: dolet de peccatis præteritis, laborat pro futuris cauendis. Quando te à peccatorum tuorum vinculo Dominus absoluit, vinculo perpetuæ detestationis eorum te alligauit: ut si quando tibi eorum in mentem ueniat, tibi ea commississe doleat. Gaude igitur, dum peccatorum iam per pœnitentiam deletorum subinde tibi remordet conscientia: si ea non approbas, imò reprobas, si ea commississe tibi non placet, imò

Voluptates  
pristinæ sæ-  
pius ad me-  
moriam re-  
deunt.

Peccatorum  
memoria.

Optimus  
modus sa-  
tisfaciendi.  
Bernardus.



displicet. Non inficior tamen quod non dudum per pœnitentiam ad Dominum conuerso, sæpius in tentationem vertitur præteriti peccati recordatio, quia sicut ligna ignem nutriunt, sic cogitationes desideria pascunt: & qui ingreditur viam pœnitentiæ, fortius tentatur ab hoste. Illum enim tentator tentare negligit, quem se quieto iure possidere sentit.

Tentationi succumbere laboriosum.

Ezech. 13.

Verumenimuerò tentationi si resistas, labor quidem erit multus: sin succumbas, labor, qui tibi videtur nullus, te vera est plurimus. Quia dum sub crudelissimi tyranni intolerabili iugo in vtramque aurem dormis securus: dicis pax, pax, & non est pax. Non est, inquam, tibi pax cum Deo, cum diabolo, sed ne cum teipso quidem. Postquam enim tentationibus non resistis, sed putans inde tibi in hoc mundo pacem inuenire, consentis, & succumbis: postquam quod concupiueras executus fueris, hostique callido te subieceris: statim tibi remordet conscientia, quia secutus es tuam passionem, quod tamen deprehendis nihil iuuare ad quæsitam pacem: tantòque diabolum tibi intolerabiliorem facis, quantò crebriùs ei te subiicis: vt ei iam in nullo resistere valeas, cui in vno tui oblitus assensum præstas. Imò quod miserrimum est, plerunque tentationem præuenis: & ne fortè tentator desit, tibi tentator efficeris: non expectas tentationem, sed præuenis voluptatem. Veram cordis pacem inuenies tentationibus resistendo, non autem eis seruiendo: meliùsque est diabolum habere hostem, quàm participem: ini-

mi-



micum, quàm amicum: fugere persequentem, quàm subsequi præeuntem. Præit diabolus dum tentationem immittit. Eum autem subsequeris, dum eius suggestiones admittis.

Primum enim tentator praua obiicit & suggerit, deinde caro rei obiectæ delectationi succumbit, postremò voluntas victa consentit: primæ illi suggestioni viriliter resiste, quia nisi viriliter ei in principio resistatur, statim coualescit tentatio, & roboratur: & sensim vsque ad delectationem; postea etiam vsque ad consensum deuoluitur. Lubricus est serpens ille antiquus diabolus: vbi semel caput admouerit, toto postea corpore sensim obrepit. Caput serpentis conculca, id est, primæ illi suggestioni resiste, noli ibi mentem tuam tenere, noli consentire: & conculcato capite securus eris. Cogitatio enim mentem non polluit, vbi delectatio mentem non corrumpit, sicut oculus patitur ex specie, sic animus ex cogitatione: quælibet res cogitari potest absque peccato, sed si delectationem attendimus, in qualibet re peccari potest cogitando. Primis illis motibus resistens, præsentis quidem labore afficeris, sed à perpetuo labore liberaberis, quibus non resistens, à præsentis quidem labore liberaberis, sed postea perpetuò laborabis. Quid autem prodest tantillo labore modico tempore leuari, & postea in æternum tantis pœnis cruciari? certamen est breue & transitorium, præmium verò perenne & perpetuum.

Nescis, heu nescis, quia oportet per multas tentationes & tribulationes ingredi regnum

Dei?

Cogitatio mentem non polluit, quando delectatio non subsequitur.

Bona est tentatio.



Dei? multæ sunt tentationes: non quorum-  
 cunque, sed iustorum, vt cum probati fuerint,  
 coronam vitæ accipiant. Proposita est coro-  
 na, ideo subeunda sunt certamina. Nemo po-  
 test coronari, nisi antè vicerit, & nemo vince-  
 re, nisi ante certauerit: quo modo autem cer-  
 tabitur, si desit, qui impugnet? ipsi quoque co-  
 ronæ fructus est maior, vbi maior fuerit labor.  
 Tolle martyrum certamina, tulisti coronas; tol-  
 le cruciatus, tulisti beatitudines. Bona ergo  
 tentatio, quæ ineffabile gloriæ pondus operatur  
 in nobis. Tentatio non nocet, sed non con-  
 sentientem exercet: nescis, quæ consolatio se-  
 quitur tentationis victoriam. Tentari non vis,  
 ergo viuere non vis, quia tentatio est vita ho-  
 minis super terram. Vita hominis non tenta-  
 tionem habere dicitur, sed ipsa esse tentatio  
 perhibetur: quia sicut mare fluctibus, sic nec  
 vita ista carere potest tentationibus. Et sicut  
 tibi per viam transeunti canes allatrant: quos  
 si neglexeris, nec irritaueris, quamuis non mor-  
 deant, tamen semper te sequuntur latratibus  
 importunis: Haud secus quantumcunque  
 tentationi resistas, tamen tentationis prorsus  
 expersesse nequeas, vt si vna recesserit, alteram  
 securus aut pavidus magis expectes. Dæmon  
 enim praua suggerit, mundus ad se allicit, &  
 caro victa consentit. Quocunque ineris, dæ-  
 mon non deserit: quocunque te verteris, mun-  
 dus se obiicit: & caro corruptibilis animam  
 deprimit. Cum mundo & dæmone bellum  
 quidem est infestissimum, cum carne verò pe-  
 riculosius, quia intestinum: nullum capitalio-  
 rem

Propter co-  
 ronam pro-  
 positam sunt  
 certamina  
 subeunda.

Necessaria  
 est tentatio.  
 Iob. 7.

Canum la-  
 tratus.

Mundus, ca-  
 ro, dæmo-  
 nia, diuersa  
 mouent  
 prælia.

is non  
 istius



rem habes inimicum quàm te ipsum, nec à quoquam magis tibi cauendum est quàm à te ipso: si in hac pugna te contingat succumbere, ex tua ipsius prodicione id putabis euenisse.

In hac pugna non deiiciéris inuitus, in te est, vinci velis nec ne: sub te est appetitus tuus, & tu dominaberis illius. In tua potestate est, si volueris, inimicos tuos facere seruos tuos, vt omnia cooperentur tibi in bonum: excitare quidem possunt tentationis motum, sed in te est dare vel negare consensum. Quamuis enim antiquus hostis non desinat tentationum laqueos vbique pratendere, vt nos quoquo modo valeat opprimere; & vniuscuiusque mores consideret, vt in vno victus alia tentationum bella instauret; eaque vitia nobis obiciat ante faciem, ad quæ procliuem esse scit nostram mentem, tamen tantùm suggerere potest, cogere non potest. Dominum non impulit, non tetigit, sed tantùm dixit, Mitte te deorsum: vt hinc intelligamus, quòd qui diabolo obedit, ipse se deiicit, & qui tentatione vincitur à se ipso vincitur. Debilis est hostis, qui non vincit nisi volentem.

Cui etiam te reluctantem Deus animat, vt pugnes, deficientem subleuat, ne cedas: non cedentem adiuuat, vt vincas: vincentem coronat, vt secum regnes. Foris te ad probationem deserit, & intus, ne pereas, custodit, tentatione foris irruente concuteris, intus tamen te conditoris manus roborat ne labaris. Tendentem ad iustitiam nequaquam in tentatione Dominus

Vincimur  
tentatione  
volentes.

Matth. 4.

Hostis no-  
ster est de-  
bilis, quia  
non vincit  
nisi volen-  
tem.  
Auxilium  
Dei in ten-  
tationibus.

desce-



deserit, ne corruat: qui per gratiam suam etiam peccantem præuenit, vt resurgat. Sed sua gratia subleuatam mentem & ad bella exterius relaxat, & ad viriliter agendum interiùs roborat. Sape vnã tentationem patitur diutiùs immorari, ne alia fortior ei succedat, cui hominis infirmitas succumbat. Tentationes moderatur cum viribus, & mensuram præbet tentationibus: quòd si diabolus, quantum vult, nocere posset, in breui nullus iustorum remaneret: si Deus totum hominem desereret, in manu tanti aduersarii homo quid esset? nihil sibi tribuat diabolus, nihil valet, nihil potest, nisi à Deo permissus: nocendi habet voluntatem, sed, nisi à Deo acceperit, nocendi non habet potestatem. Tantùm tentate permittitur, quantum tibi prodest, vt exercearis & proberis, vt qui nisi tentatus, te non nosceres, à te ipso noscaris. Fidelis est Deus, qui non patietur te tentari vltra quàm poteris, sed faciet cum tentatione prouentum, vt eius sustinere possis impetum. Si pro te est Deus, quid in te poterit diabolus? præterquam quòd in hac pugna adiutorem habes bonum tuum Angelum, quem Deus commisit ad te custodiendum: ipse etiam Dominus est refugium tuum, & turris fortitudinis à facie inimici. Tentamenta, si ad te respicias, grandia sunt; si ad Deum bellatorem fortissimum, ludus & vmbra sunt. Vide paruum David contra ingentem Goliath in nomine Domini dimicantem, cùmque occidentem, & de diuino auxilio parem tibi assume fiduciam. Non debes hostem timere fortem, qui

1. Cor. 10.

Psal. 60.

2. Reg. 17.



qui habes Deum Principem tuum eò fortio-  
 rem: sed vigila & labora, ne fiducia Principis for-  
 tioris contemnatur aduersarius fortis: contra  
 quem si viriliter contendis, illo es fortior: si  
 autem negligis, illo es debilior: fortem facit  
 diabolus hominis negligentia, non sua po-  
 tentia: nam & assidua tentatione tentat, vt Ioan. 8.  
 quem vi vincere non potest, saltem tædio vin-  
 cat. Tu tantum eius suggestionibus acquie-  
 scere noli, memor quòd mendax est, & pater  
 mendacii: quin potius viriliter resiste, quod  
 si feceris, Dei fretus auxilio, eum supplantabis.

Christus in deserto tentatus est à dæmo-  
 ne, vt nostram expertus infirmitatem, infirmi-  
 tatibus nostris compati disceret, tentationes vi-  
 cit, vt nobis potestatem eas vincendi tribue-  
 ret: sicut & in carne passibili in cruce passus  
 mori voluit, vt mortem nostram moriendo de-  
 strueret. Quod si Dominum Deum suum ten-  
 tator tentare ausus est, quantò magis audebit  
 ceteros? tentationis expertus non fuit Dominus  
 Deus tuus, quantò magis eius expertus non eris  
 vilis vermiculus? ad tentationem sustinendam  
 Christi prouocaris exemplo, ad quam superan-  
 dam eius indiges & auxilio.

Itaque, frater charissime, tentatus ad Chri-  
 stum tentatum cum fiducia recurre: ad eius  
 gratiæ thronum, vt consequaris misericordiam,  
 & in auxilio opportuno inuenias gratiam: tri-  
 bulationem tuam ante eum pronuntia, reuela Psalm. 36.  
 Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse fa-  
 ciet: quis enim inuocauit Dominum, & de-  
 reli-



relictus est? quis sperauit in eo, & confusus est? Pius & misericors Dominus, protector est omnibus inuocantibus eum in veritate.

QVOD TIMOR RECIDIVI IMPE-  
DIRE NON DEBET RESVRRE-  
CTIONEM LAPSI,

CAP. VI.

**A**T dixeris, Certò scio, quòd in totum non possum à peccatis meis abstinere, vnde recidium timens pœnitentiam nolo incipere, ne nouissimus meus error peior sit priore. R. Duo sunt vascula, frater charissime, quæ sæpiùs luto inficiuntur, quorum vnum sæpiùs mundatur, alterum, verò in sordibus suis obdurescere sinitur, vtrum horum esse dices sordidius, & vnde sordes auellentur difficiliùs? nimirum illud, quod sæpè inficitur, & nunquam abluitur. Id ergo ad tuum transfer animum. Putásne felicius multò tecum actum iri, si impœnitens inconfessusque non cesses peccata peccatis addere, quàm si sæpè recidens, sæpè etiam resurgas, & pœnitens peccatorum veniam sæpè habeas? Qui frequenter resurgit, non tam frequenter recidit, quia ex frequenti pœnitentia à multis peccatis auocatur, & ad Dei offensam timidior reditur; nec tam multis peccatis est onustus, quòd de multis per pœnitentiam sit à Deo absolutus. Qui verò à peccatis suis resurgere non curat, eum grauis omnium peccatorum suorum sarcina grauat, & ex maleuola voluntate pœnè incessanter peccat: & plerumque ipsi in

Vascula li-  
sola.

Simile.

Resurgere  
frequenter  
est opti-  
mum.

Consuetudo  
seu mala  
voluntas  
peccandi.

pec-



peccatum vertitur, quod viro iusto causa meriti efficitur. Velut aranea, si quid sani comederit, illud statim in veneni malignitatem conuertit. Et sicut ne somnus quidem Sanctorum vacat merito: quod timentibus Deum omnia cooperentur in bonum; & bonis bona sunt omnia, etiam quæ malis essent mala: Haud secus malis multa fiunt mala, etiam quæ bonis essent bona: sicuti & videmus quod venenum mors est homini, quod tamen est vita serpenti, & ignis à ferro tollit rubiginem, qui tamen molliorem consumit materiam.

Aranca;

Rom. 8.

Resurgere nolle est grauissimum.

Post reciduum resurgendum est.

Proverb. 24

Non tam malum est cecidisse, quam post lapsum iacere & nolle resurgere, peius est spernere pœnitentiam, quam Dei transgredi legem: peius est Dei offensam satisfactione nolle pacate, quam peccando Dei bonitatem offendere. Sicque re verâ hic tuus error nouissimus peior sit priore. Incarceratus si exire nolles, quia iterum incarcerati timeres, nonne stultus & demens esses? si languere mortifera quapiam ægritudine, recusaresne sanitatem recipere, timens postea in eundem morbum recidere? Igitur si cecidisti, surge: si non cessas recidere, non cesses resurgere. Navis sæpe exhauritur, quæ sæpe aqua impletur: vestem tuam sæpius mundas, quam sæpius luto maculas. Iustus septies in die cadit, septies etiam resurgit: sed iusti non amittit denominationem, qui semper resurgit per pœnitentiam. Sic & tu, vbi primùm te peccasse agnoueris, statim refuge ad interiorem contritionem cordis, & firmam habe volunta-

L terra



tem tempore & loco confitendi, & Deo pro sua offensa satisfaciendi. In qua voluntate si mors subitanea te præueniret, anima tua in refrigerio esset: quæ alioqui in peccatis suis repentina morte deprehensa, æterna muldaretur gehenna.

Victus quis  
dicatur.

Diabolo  
ne cesseris.

Dauid.  
2. Reg. 12.

Diabolus  
vetat resur-  
gere.

Ignorásne eam esse certaminis conditionem, non vt nunquam quis cadat, sed vt nunquam cedat: non is victus dicitur, qui sæpè cecidit, sed qui ad extremum non cessit. Sed quo modo certandi vires possis reparare, resistere, aut repugnare, cum protinus abiecto clypeo armisque relictis te tuis hostibus dedas, eorumque affectibus te totum permittas? cum ut vulneratus fueris statim fugias, nec omnino ad certamen redeas? Si in ipso certaminis conflictu cecidisti, statim resurge: si vulneratus es, vulnere mox medicinam adhibe, si deiecit te diabolus & elisit per peccatum, resurge per pœnitentiam, & rursus sta contra eum. Dauid cecidit in adulterii peccatum grauissimum, & adulterio coniunxit homicidium: sed quid postea? nunquid permansit iacens? nõne surrexit, & denuo contra inimicum fortior stetit, cumque tandem sibi subiecit?

Diabolus, quàm maximè potest, te peccantem adiuuat, tibi que ad votum obtemperat, ne si à peccato desistas, & per pœnitentiam resurgas, anima tua de manibus suis elabatur, sicque diutino suo labore frustretur. Diabolus quantò hominem possedit diutius, tantò dimittit difficilius. Quia enim ad vitam resurgere



gere nequit, te sibi ad mortem socium quærit, cui melius obtemperare non potes, quam si eius suggestione assidue pecces, & cum irreparabiliter lapsus resurgere non cures. Qua in

re, dum ei consentis, firmissimum pactum cum eo pepigisse videris: & quia irreparabiliter lapsus est, ita similiter non resurgendo ei sis comes.

Tibi tot peccatorum pestibus infecto

Mors peccati.

viuere, viuere non est, sed vitam confundere, & vsque ad inferni portas magis magisque appropinquare. Viuus quidem es corpore, sed

mortuus mente: vita tua non est dicenda vita, qua soli morti viuis, expediret etenim tibi,

qui quotidie in anima moreris, vt citò corpore morerèris, tibi melius esset omnino non vi-

uere, quàm quotidie secundum mortem viuere: & melius non nasci, quam per peccatum

quotidie mori. Quoties peccasti, toties æternam mortem meruisti. Quòd si pro vno pec-

Pœna pro multis peccatis.

cato id mereris, quid pro innumeris peccatis tuis mereberis? pro tot tantisque peccatis,

quam intolerabilis erit gehenna, cum pro vno peccato tot sustineantur tormenta? tantò ibi

quisque intolerabiliorem habebit damnationem, quantò hic maiorem habuerit iniquitatem. Tibi verò, qui bonorum operum nihil,

malorum autem multam copiam tecum deferres, quantum pœnarum immineat, dicere non

opus est.

Satis mirari non possum, quo modo dormire possis securus, & voluptatibus tuis frui

Periculosum in peccato esse. Simile.

intrepidus. Si enim Regi à te offenso exosus

esses, à quo in horas singulas crudelissimæ mor-



tis latam in te sententiam expectares, rideresne, & voluptatibus tuis vacandum putares? Nunc autem cum propter plurima, eaque grauissima peccata tua, æternæ mortis contra te lata sit sententia: & Dominus, vt tui misereatur, expectans suam suspenderit sententiam, si fortè conuersus se inflectat ad misericordiam: quam districti iudicii sui sententiam forsitan hodie, forsitan hac ipsa hora in te exequetur. Quo modo igitur quasi in certissima pace securus esse potes? in maiori es periculo, qui vel cum vno peccato mortali dormis, quàm si cum septem hostibus tuis capitalissimis. Profectò si animam tuam videres, eius sceditatem erubesceres: si, quanta damna per peccatum incurris cognosceres, de perpetrando peccato nunquam cogitares.

Maius periculum est, cum vno peccato mortali esse, quàm cum septem hostibus capitalissimis.

Seruitus peccati.

Ioan. 8.

Malus, qui regnat, seruus est, iustus verò, & si seruiat, liber est, Peccatum

Peccando Deum tuum tibi facis inimicum, diabolum verò tibi constituis Dominum, & qui priùs adoptione eras Dei filius, post peccatum diabolo efficeris seruus, imo etiam peccati ipsius: & quod pessimum est, tot dominorum, quot peccatorum. Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati: à quo qui deuictus es, huic & seruus addictus es, & in abiectissimis erubescendisque ministeriis felicitiùs seruires homini, quàm tuæ libidini: cum ipsa sæuissimo suo dominatu te sibi subiiciat, & nihil aliud, quàm quod suggererit, agere permittat. Malus etiam si regnet, seruus est: iustus verò etiam si seruiat, liber est: nec caret regia potestate, qui corpori suo nouit rationaliter imperare. Deus peccatum adedò odit,



vt eius odio omnia penè opera sua destruxerit, id est, mundum per diluuium, vt etiam ad illud exterminandum morti tradiderit vnigenitum suum. Nónne is maximè odit inimicum, qui eius odio interficere velit filium? Deus nec in cælo nec in terra tam charum habet amicum: quin si vllò peccato mortali eum inquinatum offenderit, eum exhorreat, ipsumque vas peccati, id est, peccatorem in gehennam ignis perpetuò detrudat: similiter enim sunt Deo odio impius, & impietas eius. Veluti si pretiosissimum vas sordibus plenum mallet in mare proiicere, quàm sordibus expurgare. Nonne sordes illas valde tibi fuisse exosas oporteret, propter quas pretiosissimum vas perdere voluisses? Et veluti beneuola mater, si puerulum suum, quem tenerrimè amat, in fornacem ardentem nunquam liberandum proiciat, nónne magnum quid, & matri valde exosum necessario fuerit, propter quod in dilectum filiolum id ausa sit designare?

Quantùm Deo peccatum displicet, tantùm illud diabolo placet: idque adeò, vt à creatione mundi in perpetrandis peccatis, & alliciendis ad ea hominibus indefessè peruigilauerit, (iisque tametsi innumeris) nunquam satiari potuerit. Post commissum peccatum mortale, ita es in potestate diaboli, vt statim iure suo te possit sibi vendicare, & secum ad inferni supplicia rapere: nisi Dei te ad pœnitentiam expectantis summa misericordia, & Angeli custodis tui sedula custodia diabolum impediret, ne pro suo iure in te ageret. Tibi præ-

Deo exosum.

Peccatum quàm Deo odiolum.

Sapien. 14.

Similitudo optima.

Peccatum diabolo gratum. Notet hæc indies peccans, quam fidelis seruus fiat diabolo. Peccator in potestate diaboli.



Peccatum  
in inferno de-  
testabilius.

Vbi nulla  
dominatur  
iniquitas,  
ibi nulla  
nocebit ad-  
uersitas.  
Vniuersa  
bona ope-  
ra per pec-  
catum mor-  
tale mori-  
untur.

staret habere mille dæmones in corpore, quàm vnum mortale peccatum in mente. Vnde Anselmus, si hic cernerem peccati pudorem, & illic inferni horrorem, & vni eorum necessariò oporteret me immergi: priùs in inferno me immergerem, quàm me in torporem peccati dimitterem: vnde plùs mallet mundus à peccato, gehennam intrare, quàm peccatorum sorde pollutus, regna cælorum tenere. Hactenus Anselmus. Si peccatum plus est detestandum quàm infernus, peccato quid esse potest detestabilius? si nullum esset peccatum, nullum esset inferni tormentum: nulla noceret aduersitas, si nulla dominaretur iniquitas; sola hæc potest nocere, & vt cætera non profint efficere.

Quamdiu manes in peccato mortali, nihil boni operis potes operari, quod ad vitam æternam tibi sit meritorium. Et sicut radix non mittit humorem ad ramum putridum, nec Sol visum ac oculum maculâ opertum, sic & tu tanquam Ecclesiæ membrum putridum & mortuum (quis enim te viuum dicat, cui non est relicta vox confessionis, nec sensus compunctionis?) es expers multorum bonorum, quæ fiunt & facta sunt in vniuersali Ecclesia, spoliarisque omnibus bonis & meritis, quæ vnquam in hac vita fecisti; omnibus quoque virtutibus & gratiis, quas priùs à Deo habuisti, in quantum nihil tibi conferunt ad vitæ æternæ consecutionem, sicut & mortuus bonis suis fruendi aut alia acquirendi non habet facultatem. Et præterquam quòd mille alia mala peccatum consequuntur, etiam miserimus ille  
mentis



mentis tuæ sibi malè consciæ cruciatus te, quocun- que ieris, insectatur. Peccatum enim dum agitur, actum displicet: cuius vermis dum non moritur, iam ex hac vita inferos suos anima tua patitur. O homo cùm in honore esses, non intellexisti: comparatus es iumentis insipientibus, & similis factus es illis: & qui prius eras dignus cælo & spiritualibus gratiis, post peccatum dignus non es pane, quò vesceris: & summo bono priuatus, summam miseriam incurristi. Sicut virtus animæ est pulchritudo, ita & peccatum eius est turpitudine: si animam tuam videres, eius vilitatem & miseriam erubesceres, eique pristinæ dignitatis gratiam reparare studeres. Dum habes sagittam in corpore eam festinas extrahere: & in lutum lapsus statim conaris resurgere: sordes corporis cum tanta diligentia abluis, tuam verò animam in peccatorum sordibus dimittis? & cùm non pro corpore anima, sed corpus factum sit pro ea, tamen animæ curam negligis, & corporis curam in omni desiderio perficis. Animam, qui negligis, etiam si corpus colas, & curæ habeas, vtrumque corrumpis: quòd si illam coleres, & curæ haberes, etiam si hoc negligeres, vtrumque saluares.

Conscientiæ  
vermis.

Psalms 48.  
Peccatoris  
vilitas.





IN MORTIS ARTICVLO QVAM  
MISERANDA SIT PECCATORIS  
DESPERATIO.

## CAP. VII.

**P**erpende paulisper, frater charissime, quoties & quam grauitè Dominum Deum tuum offenderis: læpiùs profectò & grauiùs quàm multi, qui meritò nunc cruciantur igne inferni. Attende ergo, quantum beneficii tibi à Domino conferatur, qui te expectat, vt tui misereatur; qui pœnitentiæ tempora misericorditer tibi indulget, quem gehenna iam dudum cruciare deberet. Quòd si Deus iudex iustus, fortis & patiens, in omnibus illis horis & momentis, in quibus eum mortaliter offendisti, te vt plerosque alios, subitanea & improuisa morte mori permisisset, vbi quæso iam anima tua esset? Abstraxit Dominus ab inferis animam tuam, eripuit te à descendenti- bus in lacum, et tamen peccare non cessas, & denuo magis magisque ad portas inferi appropinquas? Si omnes damnati haberent vitæ tuæ dimidiatam horam, vt pœnitendo possent ad vitam resurgere gloriosam: putas, quòd illam (sicut & tu) inutiliter expenderent, & oblatam resurgendi occasionem negligenter? Quàm duram, putas, & humanis viribus imparè pœnitentiàm vellent agere, vt ex camino ignis ardentis possent euadere? Tibi verò dum misericors Dominus ad pœnitentiàm tempus indulget, illud tua malitia ad vsum tuæ iniquitatis intorques? Venient, venient profectò dies,

Expectat  
Dominus ad  
pœnitenti-  
am.

Damnatis  
deest tem-  
pus.

Tempus



M dies, in quibus desperans dices montibus, Ca-  
 dite super me: & collibus, cooperite me. Tunc  
 ad conuersionem tempus orabis, quod nun-  
 quam in æternum exorabis. Iustum enim erit,  
 ut qui ad Deum conuerti, dum poteras, nolue-  
 ris, omnino non possis, dum tardè volueris.  
 Peccatum nisi hic per pœnitentiam corrigan-  
 tur, postea eius venia frustra postulatur: Deus  
 post mortem eum non liberat, quem ante mor-  
 tem pœnitentia ad veniam non reuocat. Igi-  
 tur, dum tempus habes, operare bonum, ve-  
 niet enim nox, in qua operari non poteris.

Meditare paulisper, infelix homuncio, si  
 te impœnitentem & pluribus peccatis infectum  
 subitanea mors inuasisset, quæ pœnitendi spa-  
 tium non dedisset, in mortis agone constituto  
 quàm miserabilis tibi contigisset desperatio?  
 Quis tunc mentis pavor, quantus iudicis timor,  
 quantus imminentis gehennæ terror & hor-  
 ror inuasisset te? Tunc certè lachrymabundus,  
 super damnatione tua sic fuisses conquestus:

**O** Vita fallax & umbratica, plena laqueis  
 multis: heri gaudebam, nunc tristor; heri  
 ridebam, nunc fleo; heri vigebam, nunc  
 infirmor, heri viuebam, nunc morior; heri fe-  
 lix apparebam, nunc miser videor. Non tam  
 lugeo meum ex hac vita discessum, quàm  
 damna dierum, mensium & annorum, in qui-  
 bus frustra laboravi, & in vanum ætatis meæ  
 fortitudinem consumpsi. Omne tempus ad  
 viuendum mihi impensum, in omne peccati  
 genus à me fuit expensum: quamdiu vixi, plus

pœnitentiæ  
 non præter-  
 mittendum.  
 Luca 23.

Querimonia  
 peccatoris  
 morientis.

Temporis  
 amissio.  
 Bernardus  
 ait:  
 Omne tem-  
 pus tibi im-  
 pensum, abs-  
 te exigetur,  
 qualiter sit  
 expensum.

L 5 obē-



Extrema  
gaudii luctus  
occupat.

Voluptates  
cito præ-  
tereunt.

Sapient. 5.

Tempus ir-  
reuocabile.

obediui meis concupiscentiis, quam Dei inspirationibus & præceptis. Putridum hoc corpus, quod mox vermes in sepulchro deuoraturi sunt, tanto studio curauit: meam verò animam, quæ Deo & Angelis eius mox ad iudicium præsentabitur, contempsi, & bonis moribus adornare neglexi. Ea res est, propter quam in amaritudine anima mea est. O vanitas mea, ô superbia mea, ô voluptas mea, quò abiistis? quò perrexistis? quid mihi profuistis? quid iam mihi reliquistis pro seruitio, quod vobis tota vita mea expendi? nempe remordentem conscientiam. Pro vestro seruitio inimicum me constitui Dei mei, & seruum diaboli: perdidi cælum, & acquisiui infernum: perdidi gaudia infinita, & æterna acquisiui lamenta: priuatus sum societate sanctorum Angelorum, & merui fieri socius ciuium infernorum. Voluptates, diuitiæ, honores, cæteraque fallacis mundi blandimenta præterierunt: & sic sunt, tanquam ea quæ non fuerunt: citò comparuerunt, & citò disperuerunt. Transierunt omnia illa tanquam vmbra præteriens, tanquam sagitta volans, tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis, quæ præteriit aquam fluctuantem, cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire. Vitæ meæ tempus præterit, dilapsum est, redire non potest: in cuius quamlibet breui morula, ô quanta bona potuissem facere, ô quantos spiritualium bonorum thesauros in horrea cælestia mihi potuissem congregare: qui nunc, cum deficio, reciperent me in æterna tabernacula! de quorum minimo nunc magis gauderem,



derem, quàm super millia auri & argenti. Sed propositum bonum sine inchoatione, voluntas sine opere, promissa bona sine executione, & crastini nunquam venientis expectatio perderunt me. Væ mihi, quia tamdiu distuli, tamdiu conversionem meam tardavi. Quàm felix pœnitentia & conversio matura, quia securus: quam qui tardè egerit, nescit, an odio an amore dignus sit: an verè an fictè pœnituerit: quia verisimilius est quòd ex pœnæ formidine, quàm ex Dei pœniteat dilectione.

O pecunia mea, ô possessiones meæ, & pretiosæ meæ vestes, in quibus mihi solebam complacere, vobis deficio, non vos mihi: vos relinquo, vos mecum deferre non valeo. Vtinam atque vtinam vos nunquam vidissem, omniumque viuentium pauperrimus fuisset; certè de vobis, aut malè expensis, aut iniuste detentis reddenda mihi non esset ratio. Vtinam atque vtinam pastorum campestrium minimus fuisset, & mei solius curam gessissem: vt subditorum meorum animas, quarum salutem neglexi, de manibus meis non requireret Dominus. O Diuitiæ, ô honores, ô deliciae meæ, non potestis me liberare à morte, à fœtore, à verme; non potestis me de manibus Dei viuentis eripere. O mors, itâne me imprudentem opprimis? quàm amara mihi est memoria tua? quàm formidabilis præsentia? quòd si viuus & valens te præuidissem, & bene viuendo, bene mori didicissem, te iam non time-rem. Beatus es, Arseni, qui hanc horam semper præ oculis habuisti. Tria nunc vehemen-

Noeuit deferre paratis.  
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.  
Felix illa multum pœnitentia, quæ matura.

Diuitias in morte relinquimus.  
Exclamatio peccatoris iam iam morituri,

In eum qui curam animarum habet.

Mors formidabilis.

O mors, quam amara memoria tua

Tria times moriturus.

ter



rer timeo. Primum, quando anima mea egredietur de corporis sui ergastulo, in regionem sibi ignotam pergens, & quò vadat nesciens. Secundum, quando iudici est occursura, & ante eius tribunal præsentanda. Tertium, quando irreuocabilem, aut secundum se, aut contra se auditura est sententiam.

Peccatoris  
spes venia.  
Oratio.  
Ezech. 32.

Sed tu, Domine Iesu Christe, cui proprium est misereri semper & parcere: qui dixisti, Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor: quamuis indulta mihi abs te pœnitendi tempora contempserim, te super omnem hominem offenderim, nec sim dignus vocari filius tuus. Tamen memor miserationum tuarum, quæ à sæculo sunt, da mortem hanc effugere, da optatæ tempora pœnitentiæ. Vitæ meæ aliquot adiace annos, aliquot menses, saltem aliquot dies. Dimitte me paululum, vt plangam peccata mea, vt recogitem tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: quia si in hoc statu morior, æterna damnatione mulctabor, Quòd si mihi misericorditer condonaueris, post hac iter arripiam duræ conuersationis, eroque religiosus. Tantùm in hoc statu non moriatur anima mea, ne fortè sepeliatur in inferno.

Psalm. 24.

IAM AVDI, QVO MODO MALI-  
GNI SPIRITVS SVPER TE RISIS-  
SENT, ET AD INVICEM  
DIXISSENT.

Dæmonum  
ad inuicem  
colloquia.  
Psalm. 51.

**E**Cce, homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitia-



uitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. Canamus illi misero debitum mortis canticum, quia filius mortis est, & cibus ignis inextinguibilis: inimicus lucis, & tenebrarum amicus. Sub nobis meruit, se perpetuò nobis mancipauit, multos nobis acquisiuit: debitam laborum suorum ei persoluamus mercedem. Quid autem retribuamus, aliud non habemus, quàm ignem æternum: qui paratus est nobis, & confortibus nostris? Noster est, quia in operibus nostris peccatisque mortalibus comprehensus est. Quid moramur? quid hic otiosi stamus? Eia agite, ligatis manibus & pedibus mittamus eum in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentium. Venite & auferamus eum ad omne genus pœnarum, nec sit ei pax in æternum. An aliud expectamus, quàm miseram animam è suo corpore separari, vt excipiamus exeuntem, & voti compotes ad inferni barathrum rapiamus deuorandam: vnde non exeat in sæcula sæculorum?

IAM AVDI, QVOMODO TE DESOLATVM FVISSENT CONSOLATI.

**O** Miser & miserabilis homuncio: dum voluptates, quibus tota vita tua seruiisti, te dereliquerunt, non tu illas: dum mundo amplius seruire nequis, inuitus & timore pœnæ ad Deum conuerteris, quod non faceres, si adhuc viuere sperares. Statutum est hominibus semel mori, nunc morieris tu, & non viues:

nunc

Dæmones peccatorem inducunt in desperationem. Ex morte imminentes



Peccato-  
rum obie-  
ctione,

Iudicis se-  
ueritas.

Retributio  
peccatoris.

Illusio mo-  
rientis.

nunc abs te repetimus animam tuam. Vide paululum, quanta sit peccatorum tuorum multitudo, de quibus & nulla abs te facta est confessio, & cor tuum nulla attriuit contritio. quo modo moribundus confiteberis, qui viuus & valens vix confiteri possis? vide paucitatem tuorum bonorum operum in comparatione malorum: & quàm modica sunt tua bona opera, ad electorum infinita gaudia. Vide seueram districti iudicis iustitiam, quæ vel de verbo otioso districtam exigit rationem. Totâ vitâ tuâ Deum es persecutus, & putas, quòd morientis sit miserturus? nulla ante mortem acquisiisti merita, nec vlla post mortem te manent præmia. Noster es, quia in operibus nostris comprehensus es: die ac nocte nobis seruiisti, suggestionibus nostris acquieuiisti, opera tenebrarum peregisti, multas animas nobis acquisiisti, sicque regnum nostrum magnopere dilatâsti. Veni veni in caminum ignis, in terram picis ardentis & sulphuris, vbi condignam laboribus tuis rependemus mercedem, tibi nobiscum æqualis erit conditio: quales Domini, tales sunt serui nostri.

O miser, cur suasionibus nostris consensisti? ecce præmium, quod inde reportasti: ecce populus quem elegisti, cum quo in æternum arsurus intrabis infernum. O superbissimum hominum, cur nunc non superbis? cur aliena non rapis? cur iniuriam tuam non vlcisceris, cur gulæ non indulges? cur de aliena felicitate non doles? Vbi tuus libidinosa voluptatis immoderatus appetitus? vbi diuitiarum amor



amor inordinatus? ubi vestes & ornamenta pretiosa? ubi conuiuiorum lautitia? ubi risus & iocus? immoderata lætitia tua quò abiit? quò recessit? Recordare quia recepisti bona in vita tua: lusisti satis, edisti satis, atque bibisti: nulla tibi requies post mortem, & nulla voluptas, noster es, liberet te Deus, si potest, de manibus nostris. Veni, veni nobiscum in terram miseræ & tenebrarum: ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Vnde non ex eas in sæculum sæculi.

Lucæ 16.

Iob, 10.

IAM AVDI QVO MODO AD  
DAEMONVM INSVLTVS HORRI-  
BILES DE SALVTE TVA DESPE-  
RASSES, HAEC  
DICENS:

INDUCIAS vsque manè, inducias vel vsque manè: nunc demum video, quòd amplius viuere nequeo: quòd venit vitæ meæ terminus, qui præterite non potest: vellem manere, sed compellor exire. Præcluditur mihi salutis via, negatur misericordia, & spes omnis est ablata: iam non tempus pœnitendi, aut vitam meam mutandi. Adfunt enim parui Aethiopes, horrendæ tortorum imagines, & teterrimi dæmones: qui vt canes exeuntem de latibulis suis leporem, ita & animam meam de miseræ suæ carnis ergastulo præstolantur exeuntem, vt eam & excipiant, & cum amaritudine ad inferni supplicia abducant. Heu miserum me! ubi deget spiritus meus hac nocte? proh dolor! infernus domus mea est in sæculum sæculi, illic

Desperatio morientis.

Canes leporem præstolantes.

Simile.

Psal, 114.



illic habitabo: quia dum quotidie contra conscientiam meam facerem, adificaui mihi domum ad gehennam. Heu misero mihi, quid agam aut quid faciam? circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. O Deus maxime, ad quid in hunc mundum me nasci fecisti? cur non fui de baptismo translatus ad tumulum? cur paucitas dierum meorum non est finita breui? melius mihi erat, si natus non fuisset: pereat dies, in qua natus sum. Esto maledictus Deus, qui me creasti; maledictus Sathan & omnia familia tua, omnisque suggestio tua: maledicta terra, quæ me aluit: maledictus venter, qui me portauit: maledicti parentes, qui me genuerunt; & maledicta omnis creatura in caelo & in terra.

Maledictiones desperantium.

Conuertit sermonem ad presentes

Genes. 4.

Admonet presentes.

Qui sunt ii sermones, amici mei, quos confertis ad inuicem? nonne dicitis, quod, confitear, & quod magna est Domini misericordia? Ah, ah, ah, maior est mea iniquitas, quam ut veniam merear: iusto Dei iudicio condemnatus sum: quod scripsit, scripsit, irreuocabilis est sententia. Præterea uiuus & valens vix possem confiteri: tantas habeo iniquitates, peccata, scelera atque delicta: quanto ergo minus in mortis constitutus agone, & condemnationis meæ iam latâ sententiâ, id poterō? O pœnitentia, ubi es? iusto Dei iudicio, posthac pœnitere non valeo. Dum possem, pœnitere nolui: modò dum volo, pœnitere nequeo. Quotquot hic adestis, amici mei charissimi, meo periculo sapite, & pro agenda pœnitentia mortis tempora non expectate, ne  
simi-



similia facientes, similia patiamini. Memores estote iudicii mei, sic enim erit & vestrum: mihi hodie, vobis cras: felix quem facient hæc nostra pericula cautum. In æternum valete amici mei iterumque valete. Ecce, dæmones miseram animam meam rapiunt, & ad infernum deducunt. Vado ad portas inferi: non videbo Dominum Deum meum in terra viventium: non aspiciam hominem ultra, nec habitatorem quietis. Esais 38,

IAM AVDI, QVO MODO SVA  
IN TE BENEFICIA DOMINVS EX-  
PROBRANS CONDEMNAS-  
SET TE.

**O** Nullius valoris homuncio, vermis inutilis, miser & miserabilis: quid potui tibi facere, & non feci? Te non lapidem, non arborem, non avem, nec aliud ex animantibus, sed te hominem rationis participem ad meam creavi imaginem & similitudinem. Et quia te mihi similem feceram per naturam, te quoque mihi similem exhibere debebas per voluntatem: quam dum mihi conformare neglexisti, meam in te similitudinem prophanasti. Tamen non dilectus, te dilexi, te mihi displicentem sic amaui, vt in te fieret, vnde mihi placeres. Superbiens præceptum meum contempstisti, tamen contemptus superbientem amare non destiti. Sed vt ad me te reuocarem, legem fidemque meam tibi dedi orthodoxam. Tibi Prædicatores meos misi. Deus exprobrat beneficia creationis. Suz incarnationis exprobratio.

M

te



Passionis.

Membro-  
rum Christi  
exprobra-  
tio.

Oculi.

Aures.

Os.

Manus.

Cor.

te iam olim in mortalitatis tuæ carne visibilis mundo apparui, & de cælestis regni plenitudine in terram pauper descendi: resuscitavi mortuos, illuminavi cæcos, reduxi erroneos, & iustificavi impios. Triginta tribus annis super terram visus, & cum hominibus conuersatus, tibi seruire & salutem tuam non reui procurare: operando, discurrendo, prædicando, ieiunando, pernoctando: & vt infirma tua tollerem, sponte infirmatus sum: pro te sum venditus, traditus, ligatus, consputus, velatus, colaphis cæsus, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus, ab omnibus derisus, felle & aceto potatus: & vt mortis tuæ mors fierem, pro te nocente innocens sum mortuus. Pro te vili vermiculo non aurum, non argentum, sed sanguinem meum fudi pretiosum: & pro vilis vermiculi redemptione, pretiosas merces expendi, mihi non peperci, meipsum totum pro te redimendo libentissimè obtuli. Omnia membra mea dedi ad tuam redemptionem, tu verò omnia membra tua exhibuisti ad meam offensam: pro te oculos meos dedi ad lachrymandum, tu verò tuos ad vanitatem mundi conspiciendum: dedi aures meas ad patienter audiendum iniurias & opprobria, tu verò tuas ad libenter audiendum detractiones & turpilogia: dedi os meum ad degustandum acetum cum felle mixtum, tu verò ad gulam, blasphemiam, detractionem, & mendacium: manus meas, & pedes dedi in cruce clavis affigendos, tu verò manus tuas exhibuisti ad homicidia & pauperes spoliandos: cor meum dedi lan-



lancea acutissima perforandum, tu verò tuum dedisti ad voluptatem mundi concupiscendum.

Magis dilexi salutem tuam, quàm meam apud homines gloriam: tu verò plus dilexisti vilissimam creaturam, quàm me tuum Crea-

Homo se totum bis debet Deo.

torem. Cui si tantum debebas pro te facto, quantum mihi debuisti pro te refeito? si te totum mihi debebas, dum te totum tibi dedi:

bis te mihi debuisti, dum te perditum tibi reddidi, quoniam tibi & datus & redditus eras, te totum semel atque iterum mihi debebas, qui totum vivere, sapere, & sentire à me acceperas: qui & feceram te & bene feceram tibi, à quo haberes esse, & bene esse. Nec satis mihi fuit pro te meipsum totum semel offerre in oblationem & hostiam Deo patri, nisi & me

Eucharistia.

tibi in Sacramento quotidie exhiberem videntum, osculandum, palpandum, denique etiam manducandum. Nascens me tibi dederam socium, conuescens in edulium, & moriens in pretium, regnans daturus me in præmium. Quid vel ego, à quo omne datum optimum, & omne

Iacobi 1.

donum perfectum, melius dare potui quàm me ipsum? Quid plura? etiam Angeli mei custodia tibi dederam: tu tamen salutaria eius

Angeli custodia.

monita contemnens, contraria operari non timuisti. Te baptismi lauacro ab omnibus peccatis tuis semel ablui, in fide mea orthodoxa te erudiui. Te spirituali morte pluries mortuum,

Venia sæpius data.

pluries suscitavi, & caelesti regno ob tua scelera iustè priuatum, in pristinam hæreditatem restitui: te ad baptismalem innocentiam sæ-



Voluntas li-  
bera.

Psalm. 147.

Matth. 11.

Deus fuerat  
redaman-  
dus.

Deus crea-  
tor suæ cre-  
ature a-  
mantissi-  
mus tan-  
tùm cupit  
ab eadem  
amari.

pius reduxeram, tu tamen eam mox prophanâ-  
sti: sapiùs peperceram, & mox recidisti: pa-  
radisum tibi aperueram, & intrare noluiti:  
gratiam meam tibi obtuleram, & tu eam ne-  
glexisti: Te quotidie iuuare paratus eram, &  
te in nullo iuuare voluisti: voluntatem tuam  
non coëgi, sed merè liberam reliqui: ne causa  
tuæ salutis esset occasio necessitatis. Diu te  
sustinui delinquentem, paratus recipere reuer-  
tentem: tamen ne sic quidem ab iniquitate  
tua conuersus es. Non feci taliter omni na-  
tioni, & iudicia mea non manifestaui eis: quòd  
si in Tyro & Sidone facta essent ea, quæ feci  
tibi, olim ad me conuersi in cilicio & cinere  
pœnitentiam egissent: quid vltra potui tibi fa-  
cere, & non feci? Dic mihi mortalis & passi-  
bilis homuncio, quid vnquam passus es propter  
me factorem & benefactorem tuum, qui etiam  
impassibilis & immortalis pro te passus & mor-  
tuus sum? tamen cor tuum reprobum obdu-  
raturum obstinatùmque non emolliuit tanta be-  
nignitas, tanta flamma, tantus amoris ardor,  
tam vehemens amator, qui te talem gratis adeò  
diligere. Quo modo, imò quàm sine modo  
à te redamari merueram, qui non dilectus te  
prior dilexeram?

Pro his aliisque innumeris meis in te be-  
neficiis licet parem non posses referre gratiam,  
nullam tamen reposcebam aliam, quàm vt me  
amantem redamares, propter me saluti tuæ  
consuleres, & à peccatis, quæ maximè oderam,  
abstineres. Quæ tibi præcipiebam, mihi non  
proderant, sed tibi soli, cui præcepta facta erant:

non



non indigebam bonorum tuorum, sed tu meo-  
rum. Tu nihilominus reddidisti mihi pro amo-  
re odium, & pro bono malum: à me ad dia-  
bolum inimicum meum, tibi que hostem infe-  
stissimum, ingratus & salutis tuæ inconsidera-  
tus defecisti: & turpissimo, crudelissimo, &  
nequissimo domino te ultro mancipasti. Ta-  
men omnes prædictas iniurias meas, & ingra-  
titudines tuas patienter sustinui, te ad miseri-  
cordiam diu expectavi: ignoscere paratus, si  
ad me in tempore opportuno fuisses conuer-  
sus, imò & ad id te vocavi, & quodammodo  
rogavi: dum starem ad mentis tuæ ostium, pul-  
sans & clamans, Conuertere ad me, & ego con-  
uertar ad te: & vocem meam audire contem-  
psisti. Iustum igitur est, ut qui me contem-  
psisti, dum viueres, à me contemnaris dum mor-  
tuus es: itaque discede à me, maledicte, in  
ignem æternum, qui paratus est diabolo &  
angelis eius, faciem meam non vilurus in sæ-  
cula sæculorum.

Maleficia  
reddita pro  
beneficiis.

Sententia  
iudicis Dei  
erga pecca-  
torem.  
Matth. 25.

## DE POENIS INFERNI.

## CAP. VIII.

**S**uperest, frater charissime, ut nunc audias  
quàm dignum operibus tuis supplicium  
in illo infernalis barathri profundo tunc  
expendisses, adhucque expendes: nisi in tem-  
pore opportuno per poenitentiam diuini iu-  
dicii latam in te auertas sententiam. Imprimis  
qui non peccasti nisi volens, in inferno omnia  
mala patieris nolens. Ibi erit suppliciorum

Nemo pec-  
cat nisi vo-  
lens, ergo  
omnia tor-



menta  
etiam pa-  
tietur no-  
lens.

Diuerfitas  
pœnarum,

Pro mensu-  
ra delicti,  
erit & men-  
sura tor-  
menti.

Ignis infer-  
ni diuerfos  
diuersimodè  
exurit.

Iuxta qua-  
litate[m] cor-  
poris sen-  
tietur pon-  
dus caloris.

Corporeus  
cùm sit, agit  
in animam.

& miseriarum diuersitas innumerabilis, acerbitas intolerabilis, & æternitas interminabilis: corporis & animæ afflictio erit varia, acerba, & æterna. Quia perpetrasti diuersitatem peccatorum, ideo & patieris diuersitatem pœnarum, nullum hic committis peccatum, cui illic non respondeat suum tormentum: iuxta modum tui criminis, te retributio sequetur diuinæ ultionis, pro mensura delicti, erit & mensura tormenti: quantum exiget tua culpa, tantum senties de pœna. Quamuis enim vnum idemque sit ignis gehennæ, non tamen omnes damnatos exurit simili ratione. Sicut & in hoc mundo sub vno sole multi consistunt, nec tamen eiusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, quia iuxta qualitatem corporis sentitur & pondus caloris: vnus quoque plus æstuat, & alter minus. Et sicut ab vno eodémque igne aliter vritur palea, aliter lignum, aliter ferrum: ita illic in vno eodémque igne vnus idemque non est ardor incendii: quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic agit dispar causâ meritorum.

Ignis ille corporeus cùm sit, detrusas in se reproborum incorporeas animas exurit. Si enim Dæmones, qui incorporei sunt, eo igne cruciantur, si etiam viuentium hominum incorporeæ animæ suo corpore detentæ, corporali ægritudine affliguntur: cur non illæ post mortem igne etiam corporeo detentæ, ab eo cruciabuntur? donec ipsas in extremi iudicii retributione, & generali corporum omnium resurrectione, foetidissimis suis corporibus in-



felici vinculo rursus colligatas, par cruciet flamma supplicii, quos hic par succendit flamma peccati. Donec peccatores, qui tractauerunt mente, quod peregerunt corpore, simul & mente puniantur & corpore. Donec in anima & corpore pœnas expendant, qui praua animæ desideria corpore explebant; & socia sint in tormentis, quæ hic socia fuerunt in vitiis: eosque par pœna constringat, quos similis culpa inquinat. Ille igitur gehennæ ignis missas in se reproborum animas, ante iudicii diem sine corpore, & post iudicii diem etiam cum corpore, cruciat, exurit, molestat & angit. Veruntamen humano aut diabolico studio non excitatur, nec lignis nutritur: succensione non indiget, nec tamen ardore caret: sed ab ipsa mundi creatione semel à Deo creatus, durat inextinguibilis: & non solum non extinguitur, sed nec eos, quos exurere cœperit, extinguet aut perimet vnquam.

*Inextinguibilis est.*

Huius autem æterni ignis potentiam nulla vox exprimere, nullus sermo potest explicare: nihil enim est simile in rebus corruptibilibus, siue bonis siue malis. Veruntamen ut aliquam ignis illius accipias imaginem, perpende, dum digiti tui extremum materiali nostro igni tantillo tempore admoues: quæ angustia, quis dolor, qui cruciatus? & tamen hic noster ignis ad ignem illum perpetuum, est velut ignis pictus ad ignem verum. In cuius medio si totum digitum teneres, quantum passionem sustineres? quam magnam, si totam manum: multò maiorem, si totum bra-

*Inenarrabilis ignis ille infernalis.*

*Comparatio ignis nostri ad illum.*

*Comparatio optima ab igne infernali.*



chium: longè maximam, si totum corpus citra mortem vno die sustinere posses: si vna hebdomada, multò plus: si anno integro, plurimum doleres. Hinc cogita si potes, quam infelix erit anima, quæ tanto & tam diuturno igne cruciabitur? metire ex hac temporali pœna, quàm intolerabile sit ipsi animæ, inextinguibilis illius ignis vtrobique & intrâ & extrâ ardorem nimium perpetuò tolerare? Ignis qui in præsentia vita est, omnia lucida suo fumo deturpat, sic gehennæ ignis reproborum corpora denigrat & obscurat: quo facies sunt combustæ vultus eorum. In hoc tamen differunt, quòd noster ignis absorbit omnia, quæ recipit, ignis verò infernalis, quos semel susceperit, semper cruciat, & pœnæ suæ semper integros reseruat. Ille naturaliter & ardorem exhibet & fulgorem, hic verò summam exhibet concremationem, & nullum exhibet splendorem.

Simile.

Esaia 13.

Differunt  
ignis noster  
& infernalis.

Ignis obscurus simul  
& lucidus.

Tres pueri  
in fornace.  
Daniel. 3.

Sed quia in inferno nec ipsius aëris, nec vllum est solatium lucis: ideo quasi fornacis magnæ fumum foetidum obscurumque exhalat, qui ascendet à generatione in generationem: qui quamuis cruciando caligine sua obscuret, & obscurando intolerabili suo ardore cruciet, tamen damnatis etiam ad tormentum lucet. Veluti enim tres illi Hebrææ gentis pueri, Ananias, Azarias, Misael, Regis Nabuchodonosor imperio ligatis manibus pedibusque in succensos fornacis ignes proiecti, è medio ignium incendio illæsis etiam crinibus sunt egressi: & mirâ Dei miserentis dispensatione ignis



ignis ille ne crines quidem aut vestimenta at-  
tigit, & tamen vincula incendit: ad inferen-  
dum tormentum flamma refrixit, & ad sol-  
uenda vincula exarsit. Sicut ergo sanctis viris  
ignis ardere nouit ad solatium, & ardere ne-  
sciuit ad supplicium: ita e contrario reprobis  
gehennæ flamma nequaquam lucet ad con-  
solationis gratiam, ne videant unde gaudeant:  
sed lucet ad pœnæ augmentationem, vt videant,  
unde doleant.

Quandoquidem in obscuritate cruciat, &  
lumen ad tormentum reseruat, vt ad suæ da-  
mnationis cumulum videant sibi in hac vita  
charissimos, pari præ oculis ultione damna-  
tos. Sed ne sic quidem amicus compatitur  
amico, nec pater filio, nec mater filiæ, nec fi-  
lii compatiuntur parentibus: alter inuidet al-  
teri, detrahit & murmurat. De parentibus  
impiis conqueruntur impii filii: quia ad salu-  
tem necessaria eos non docuerunt, delinquen-  
tesque non corripuerunt. Parentes etiam  
conqueruntur de filiis, quia vt eos ditarent mul-  
ta malè acquisiuerunt, malè acquisita non re-  
stituerunt, nec de iustè possessis eleemosynas  
erogauerunt. Amicus conqueritur de amico,  
quòd sibi peccandi fuerit occasio: quòd eius  
amore deliquerit, eumque plusquam Deum  
dilexerit. Et sicut diues ille epulo eleuans  
oculos suos, eum esset in tormentis, vidit Abra-  
ham à longè, & Lazarum in sinu eius: ita &  
reprobi, iustorum (quorum vitam reputabant  
insaniam) vident aliquando gloriam: vt ex in-  
uidia

Amicorum  
recognitio.

Mutua ex-  
probratio.

Amans si-  
militer de  
amasia sua  
conqueri-  
tur.

Paradis-  
visio.  
Lucæ 16.



uidia non solum de suo supplicio, sed etiam de illorum crucientur gaudio.

Pudor mu-  
tuus.

Simile.

Fœtor.

Damnati  
corpore ni-  
hil est fœ-  
tidius.

Turpitud.

Corpus ag-  
grauabit  
animam.

Corporis &  
animæ, mu-  
tuum o-  
dium.

Eorum oculis assiduè occurrunt facies di-  
ræ tortorum, & socii consortes pœnarum: &  
sicut experientia videmus, quòd nostram aut  
alterius plagam horribilem aspicere non possu-  
mus: ita & ipsis pudor est de propriæ vilitatis  
consideratione, horror de omnium dæmonum  
& damnatorum consortii vilitate, & fœtor de  
fœtidissimorum cadauerum innumerabili mul-  
titudine. Ineffabilis enim sit fœtor ex tanta  
damnatorum corporum multitudine necesse  
est, si vnus damnati corpore nullum est ster-  
quilinium fœtidius, & nullum cadauer putidius:  
si etiam turpius est, quàm si post septimum, aut  
octauum diem à sepultura sua resurgat scærens  
& corrosus vermibus, & omni fuligine ni-  
grius: maiorem enim deformitatem, quam ha-  
buerint, dum viuerent, in resurrectione resu-  
ment. Quod dum miserimæ animæ suæ infe-  
lici collegio colligatum & sociatum fuerit: ipsi  
tam graue pondus & tam grauis erit sarcina,  
vt nec pedem, nec manum, nec aliquod cor-  
poris membrum ex se possit mouere, sed ne  
puluërem quidem à suis oculis expellere. O-  
mnia membra vinculis igneis arctabuntur, ad  
omnia, quæ noluerint, cogentur, & ab omnibus,  
quæ voluerint, prohibebuntur. Corpus ani-  
mam odio habebit, quòd vnquam malè cogi-  
tauerit: anima itidem corpus, quòd mala co-  
gitata opere compleuerit, & quòd vterque al-  
terum talibus pœnis subiecerit, pœna animæ  
in corpus, & pœna corporis redundabit in ani-  
mam,



mam, sicut & experientia videmus, quòd patiente corpore compatitur anima, & patiente anima compatitur corpus.

**I**N illa picis ardentis terra, in sæcula sæculorum desolata: miseris damnatis omnimoda est desolatio, ex desolatione desperatio, ex desperatione, odium Dei atque blasphemia: cruciatus æternus, continuus gemitus, eiulatus assiduus. Ibi nil aliud auditur: quàm planctus, ululatus, fletus & stridor dentium: fletus de ardore, & stridor dentium excitatur de frigore: sicque duplicem patiuntur gehennam, scilicet niuei frigoris & nimii feruoris. Sicut enim febricitans nunc frigore, nunc in eodem loco torquetur calore: sic & damnati ad calorem nimium, transeunt ex aquis niuium, & vt acrius torqueantur, ad calorem immensum, de glaciali frigore subitò deoluuntur. Cuius tormenti hanc assume imaginem, dum tempore hyemali summo in extremis digitis laboras frigore: quantò plus digitos igni ostendis, tantò magis frigus sentis. Hinc ergo collige, quantus erit dolor, dum non solùm in extremitate digitorum, sed etiam in toto corpore frigus erit maximum: dum de tanto frigore transitus erit immediatus in tantum ardorem: quòd maius fuerit frigus, & calor subsequens maior, hoc maior erit dolor.

Multiplicatio peccatorum.

Frigus cum ardore,

Simile.

Qui hic repleti fuerint satietate, illic cruciantur fame, & guttam aquæ postulant, nec tamen eam impetrant. Per quæ peccauerunt, per hæc & punientur, & in quo Deum magis offendunt.

Fames. Per quæ quis peccauit, per hæc & punietur.



Desolatio  
omnimoda.

offenderunt, in eo magis cruciantur. Semper igne cremantur, nec funditus moriuntur: semper fumum teterrimum sustinent, & nunquam lumen vident. Implentur fœtoribus, torquentur cum dæmonibus: nullum inueniunt solatium, & nullum consilium: nullam habent spem euasionis, semper eos circundant dolores mortis. In hac vita aliquantulum solatii est ægroto, quando aliqua interruptionis requies est morbo, & quando amicorum fruitur colloquio: illic verò ad augmentum doloris, nulla est interruptio, sed æterna continuatio in tormentis: cessant vndique solatia, inualescunt vndique supplicia: nulla est redemptio, nec vlla est pœnarum alleuatio. In mundo timor non habet dolorem, nec dolor timorem, quia timor mentem non cruciat, dum iam pati cœperit, quod timebat. Inferni verò ignibus traditi in mediis suppliciis & dolorem sentiunt, & præ doloris angustia assiduè pertimescunt: vt & quod timent, incessanter tolerant: & rursus quod tolerant, incessanter timeant: pœnæ inflictio timoris est augmentatio.

Timor cum  
dolore.

Summus  
malorum  
gradus.

**O**Mnia huius mundi tam bona quàm mala, suis contrariis sunt permixta, nec habent summum suæ perfectionis gradum: quin possint augeri vel minui, & plus minúsue haberi. In inferno autem omnia mala suo contrario impermixta sunt, & in summo máximoque gradu: ea tamen vnusquisque secundùm quòd plus minúsue peccauit, plus minúsue sentit. Veluti summus ibi est dolor, summus ardor,



ardor, summa frigiditas, summa in cunctis malis acerbitas; summa desolatio, summa, in corpore & anima afflictio, ignis inextinguibilis, feruor inmitigabilis, vermis immortalis, frigus inæstimabile, fœtor intolerabilis, mœror inconsolabilis, horribiles tenebræ, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio malorum & desperatio omnium bonorum. Ha-

Membra omnia pœnis subiacent.

Simile.

bent miseri fletum in oculis, terrorem in auribus, fœtorem, in naribus, stridorem in dentibus, gemitum in vocibus, vincula in manibus & pedibus, & ardorem cruciatumque intolerabilem in membris omnibus. Veluti si ob mentis tuæ oculos tibi quempiam proponas, qui tam in ipsis oculorum suorum pupillis, quàm in singulis membris utrobique & intrâ & extrâ ferrum ignitum & candens infixum habeat: sic ut nec medullæ, nec intestina, sed ne minima quidem totius corporis particula cruciatus immanitate careat, vel eam minus quàm in oculis aliquatenus sentiat. Quid? nõne talem dices in summis versari malis, summisque excruciaris angustiis? Sed quid, quæso, vnicum hoc tormentum ad multitudinem magnitudinẽque intolerabilium vnius damnati tormentorum: super quem omnis dolor irruit, præterquam quòd intrâ & extrâ in ferri candentis morem ignem habet inextinguibilem?

Tanta est vnius damnati pœna, ut si ea in singulos, qui fuerunt, sunt & erunt, æqualiter diuideretur, & singuli singulas pœnæ tolerarent particulas, adhuc vnius cuiusque tanta esset pœna, tantus dolor, & tam horrendum sup-

Diuisio pœnæ vnius damnati

Maxima vnius damnati pœna

pli-



plicium, vt superaret omnium martyrum tormenta, etiam in vnum collata; & omnia denique mala, quæ in hoc mundo possent cogitari, videri, & sentiri. Maxima igitur sit necesse est vnius damnati pœna, quæ in innumerabilem distributa multitudinem vnumquemque vltra vires cruciaret. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus offendentibus se. Omnes pœnæ, afflictiones & tormenta, quæ cogitari possunt in hac vita, si ad minimam inferni pœnam conferantur, sunt solatia: mallétque damnatus omnia illa mille annis perpeti, quàm vno die minima inferorum pœna cruciari. Quantum, putas, supplicii illic irroget Dominus iis, quos reprobat, si hic tam districtè corripit, quos amat? si electos suos in præsentis sic flagellat ad probationem, quantum, putas, torqueat reprobos ad punitionem? Si dæmones plerosque sanctos viros, vt Iob & Antonium, ad eò afflixerint, cum tamen non plus possent in eos, quàm Dominus permetteret: quantum, putas, ad perpetuos cruciatus sibi à Deo concessos affligent? ô quales erunt ipso afflictu, si intolerabiles sunt solo aspectu? torquendo non fatigantur, nec peccator in tormentis aliquando moritur, sed vt sine fine crucietur, viuere sine fine in pœna compellitur.

Nam si aurum in igne rutilat, nec ab eo consumitur: & montes Siciliae flammiumi, à mundi initio in hunc vsque diem perpetuis ignibus æstuant, & tamen integri perseuerant: Salamandra quoque potest in ignibus viuere,

Dæmones  
torquens  
animas.

Aeternum  
viuere, & ta-  
men cruciari  
in igne.

Salamandra.



uere, & non dolere: quanto igitur facilius corpus & anima poterunt in igne illo dolere, & tamen semper viuere? Præterea sicut anima corpus viuificans dolorem tolerare potest, & mori non potest: ita etiam dum corpus immortalitatem & incorruptionem induerit: anima cum suo corpore semper torquebitur, nec ab eo extorquebitur: ab igne inextinguibili (qui vel maximum montem in momento & nictu oculi extinguere & consumere potest) peccator non extinguetur, nec consumetur, vt semper in eo supersit, quod extingatur & consumatur.

Et quia non est vera vita, nisi vbi feliciter viuatur, vbi autem infelix mori non finitur, in ipso mors ipsa non moritur. Ideo peccator qui & bene esse perdidit, & essentialiter esse non perdidit, quin in sempiternum mortuus est vitæ æternæ, & in æternum viuus morti sempiternæ, assidue pati cogitur & mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine. Sic moritur, vt semper viuatur; & sic viuatur, vt semper moriatur. Sic deficit, vt semper subsistat; & sic subsistat, vt semper deficiat. Sic finitur, vt sine fine sit, & sic cum fine est, vt nunquam finiatur. Et cuius vita hic mortua fuit in culpa, illic eius mors viuax est in pœna: non ad vitæ honorem, sed ad supplicii diurnitatem: ad dolendum magis, quam ad viuendum. Illic solam mortem desiderat, quam hic tam vehementer oderat: quærit mortem, & non inuenit eam: mori appetit, & mors ab eo fugit: hic de corpore nolens educitur, illic in corpore inuita detinetur:

Mors æterna.

Mors viuis damnati.

Mors à damnatis desideratur.

mors



mors naturæ animam nolentem pellit de corpore, mors verò gehennæ animam nolentem detinet in corpore: ab vtraque morte communiter illud habetur, vt quod non vult anima, de suo corpore patiatur.

In inferno  
nulla re-  
demptio.

Nemo vn-  
quam ab in-  
feris fuit  
reuerfus.

Extra infer-  
num positi  
cruciantur.

Aeternitas  
pœnarum.

**Q**ualiscunque annorum terminus excogitatus, dummodò finitus, damnatis esset solatiofus, sed proh dolor, in inferno nulla est redemptio: nec est quisquam agnitus, qui ab inferis sit reuerfus. Infernus enim ita est profundus, vt nullus inde possit ascendere: ita clausus, vt nullus possit exire: ita custoditus, vt nullus possit euadere. Qui illuc semel iuerit, vltèriùs non redibit: qui intrauerit, perpetuò non exibat: quem semel Dei iustitia protulit ad pœnam, eum diuina misericordia vltèriùs non reducit ad veniam. Quòd si ad viuorum terrorem ex Dei permisso huc venientes ad tempus extra infernum ponantur, in nullo tamen eorum pœna minuitur: quocunque iuerint, secum deferunt tormenta flammarum, tametsi carnalibus oculis nostris invisibilia, sicut & febricitans quocunque proficiscitur, excessiuo calore semper affligitur.

Ad districti iudicis pertinet iustitiam, vt illis nullus detur terminus vltionis, qui quamdiu valuerunt, nullum habere voluerunt terminum criminis, vt illic nunquam careant supplicio, qui hic nunquam carere voluerunt peccato, qui cum sine peccauerunt, quia cum sine vixerunt: qui vtique voluissent, si valuissent, sine sine viuere, vt potuissent sine sine peccare.

Osten-



Ostendunt enim, quod peccato nunquam care-  
 re voluerunt, quia nunquam cessauerunt pec-  
 care, quamdiu vixerunt. Præterea congruum  
 est, vt secundum delectationem peccati men-  
 suretur acerbitas tormenti non solum quam  
 impii habuerunt, sed quam habere voluerunt:  
 Deus etenim non tantum extrinsecas conside-  
 rat actiones, sed etiam extrinsecas examinat vo-  
 luntates. Cum igitur ex improba voluntate,  
 modum non apposuerint in peccati delecta-  
 tione: nec vnquam tantam inuenire potue-  
 rint in peccato delectationem: quin voluissent  
 habere maiorem: idcirco Deus (qui corda pen-  
 sat, non facta) pœnas infligit non secundum  
 delectationem habitam, sed quæsitam, vt pro  
 peccato in tempus infinitum crucientur, qui in  
 eo, si possent, infinitè delectarentur. Præterea  
 cum tanta sit offensa, quantus ille est, qui of-  
 fenditur: ideo peccatum mortale, quo Deus  
 maiestate & bonitate infinitus offenditur: me-  
 ritò debet infinitum iudicari, & infinita pœna  
 meretur puniri. Infinita quidem duratione,  
 non acerbitate: finita enim creaturæ capacitas  
 infiniti non est capax: cui etiam Dominus, qui  
 non continet in ira misericordias suas, citra  
 condignum infligit pœnas. Qui, quia pius  
 est, eorum cruciatu non pascitur: quia verò  
 iustus est, ab eorum vltione in perpetuum non  
 sedatur. His amplius, veluti qui vitam dese-  
 runt, mortem incurrunt, sic qui summè bo-  
 num minimè verentur offendere & deserere, in  
 summum malum summumque supplicium me-  
 rentur incidere: sicutque digni malo æterno,

Infinitum  
 peccatum

Psalm. 76

Peccatum  
 momenta-  
 neum cur  
 æternaliter  
 puniatur,

N qui



qui in se perimunt bonum, quod esse posset æternum. Sicut videmus, quod ius temporalis emptionis dat ius perpetuæ possessionis: verberatio temporalis & transitoria, infert mortem, quæ est perpetua: temporale crimen læsæ maiestatis iugum affert perpetuæ seruitutis: morbus quispiam breui tempore acquiritur, à quo in perpetuum homo non liberatur. Sic damnati cum sine peccauerunt, tamen pœnas sine fine meritò expendunt. Qui dolent se peccasse, & non possunt non peccasse, nec eorum peccata deleri aut purgari valent, quibus semper manentibus semper & supplicia manent.

Venialia  
æternaliter  
puniuntur.

Deus nec  
inulta di-  
mittit verba  
otiosa.

Simile.

Et quanquam viris iustis parcatur ob leuia, qui districtè in se puniunt grauiora, tamen dum reprobis pro peccatis suis Dominus pœnas infligit, ne verba quidem otiosa inulta dimittit: & qui de magnis peccatis debitores sunt, suppliciiis traditi etiam nouissimum quadrantem persoluunt: & quos magna mala premunt, eos etiam minima in flammis illis vltimicibus pariter affligunt. Et sicut qui brachium ligatum habet, eo nihil operari valet: sic & pœnæ acerbitate, non autem ex Dei dilectione voluntatem habent resurgere à peccatis suis volentem, sed quia à Deo derelinquitur, resurgere non valentem. Quæ licet inde amiserit potestatis effectum, semper tamen habebit malignitatis affectum: & si peccare non possunt, peccandi tamen voluntatem non amittunt: nam mors animam quidem à carne separat, animæ autem propositum non immutat. Sicut enim

electis



electis bona voluntas conuertitur in gloriam, sic reprobis mala voluntas conuertitur in pœnam, & ipsa erit in inferno supplicium, quæ fuerat in mundo peccatum.

Sicut qui Regem offenderunt, coguntur exulare à regno: ita & damnati propter Dei offensam exulant à paradiso: quibus omnes prædicti cruciatus intolerabiles sunt, tamen etiam si aliquis mille superaddiderit gehennas, nihil sunt ad gloriæ illius amissionem. Damna-  
Pœna da-  
 mni.  
 Simile.

tis enim multò grauissimum est excludi à gloria, & priuari Dei gratia; mansueti piique creatoris odium sustinere, Deumque omnipotentem aduersarium & inimicum habere: quod ipsis tantum generat cruciatum, vt si nulla extrinsecus pœna torqueret, hæc sola sufficeret. Vident enim quòd pro momentanea peccati delectatione acerbissima sustinent supplicia, & pro amore honorum temporalium bona perdididerunt æterna: qui tamen per modicam breuemque pœnitentiam & hæc poterant acquirere, & illa non peccando deuitare.

Quòd si vnus peccati vermis nunquam moriens hîc rebus nondum desperatis adeò angit, quanto ergo magis tot peccatorum vermis inextinguibilis in æterna illa desolatione cruciari credendus est? dum impii assidue vident velut in speculo omnia mala, quæ commiserunt, & omnia bona, quæ omiserunt. Nam  
Conscientiæ  
 vermis.

velut transactis nundinis mercator non solum dolet de suo lucro, quòd amisit, sed etiam de eo quod lucrari poterat, & tamen neglexit: ita & damnati non solum dolent de peccatis comm-  
Impii assidue vident sua mala tranquata in speculo.  
 Simile.



Nota sen-  
sentiam.

missis, sed etiam de bonis operibus omissis, de quibus omnibus est tunc pœnitentia, sed inutilis & infructuosa, quia tunc veniam non inueniunt, qui aptum veniæ tempus perdididerunt. Sed post centies millies centena annorum millia, perinde in ipsis iterabuntur supplicia, atque si nihil vnquam perpessi fuissent: sicque sine fine in sæcula sæculorum in illo horrore loco remanebunt.

Conclusio.

**Q**ui talia fando temperet à lachrymis? quis valeat siccis ista referre genis? Hæc horribilia sunt ad cogitandum, terribilia ad narrandum, & graua ad videndum: quàm ergo sunt horribilia, terribilia, & graua ad sustinendum? Si enim tam terribilia sunt solo auditu, quantò magis ipso afflictu? si hic te adeò angit supplicii illius formido, quid illic faciet ipsius intolerabilis passio? Horrendum est incidere in manus Dei viuentis: in mortem viuacem, & vitam morientem. Tu verò, frater charissime, de iis malis non cogitas, & tamen quasi securus ad hæc sine cessatione properas: hæc prius experieris, quàm de iis quidquidquam cogitaueris. Quod tamen ne fiat, néue speciosa tua membra inextinguibilis illius ignis sint esca, cogitatione in infernum descende viuens, ne illic in corpore & anima descendas moriens: stude & hæc timere, & timendo vitare. Quid enim proderit ista prænoscere, si non contingat euadere? Nunc igitur, cum possibile sit paruo tempore, si conuertaris ad Dominum, omnia illa euadere cruciamenta, & malorum vlticia effugere tormenta,

Sæcula enim  
præuisa mi-  
nus feriunt.

&



& præterea bonis perfrui æternis, quæ præparata sunt sanctis: quid differs? quid moraris? & diuina largitione non vteris: antequam vadas & non reuertaris, ad terram tenebro-  
Iob, 10.  
 sam & opertam mortis caligine, terram miseriae & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, quod à nobis auertat IESVS CHRISTVS Dominus Deus noster. Amen.

### QVINTÆ PARTIS CONCLUSIO.

**O**B hæc & multa alia, quæ in hanc sententiam dici poterant, planè vides, frater charissime, per te, non per Deum stare: quò minùs à peccatis tuis resurgas, & bene beatèque viuere incipias. Itaque qui permanere noluisti, redi: & saltem post lapsum resurge, qui stare contempsisti: quæcunque in iuuentute, quæcunque in adolescentia commisisti, desle: morum operumque maculas lachrymis terge: quidquid polluerunt opera, diluant lamenta. Inquinatus post aquas baptismatis, renascere ex lachrymis: & sicut modò genitus infans ratio-  
Exhortatio ad peccatorem. Pœnitendum est. 1. Petri. 2.  
 nabilis & sine dolo lac concupisce, redi vt filius paruulus ad sinum matris tuæ, æternæ Dei sapientiæ, & larga diuinæ pietatis vbera suge: vt sic crescas in salutem, si tamen gustas quoniam dulcis est Dominus. Dole de præteritis, labora pro futuris cauendis, quod vt fiat, in omnibus operibus tuis memorare nouissima  
Ecclesiast. 7.

N 3

tua,



Abstinendum etiam à licitis.

Vitia quomodo extirpanda. Modus optimus à malis resurgendi.

Virtutes acquirenda.

Post penitentiam non est praesumendum.

tua, & in æternum non peceabis. Tanto maiora quære bonorum operum lucra per penitentiam, quantò grauiora tibi intulisti damna per culpam. Qui te illicita seis commisisse, à quibusdam etiam licitis stude abstinere: qui commisisti ptohibita, tibimet abscinde etiam concessa, & te reprehende in minimis, qui peccasti in maximis.

Quotidie debes paulatim vitia extirpare: primùm vnum diem à gula & luxuria statue abstinere, id quod Deo duce facile succedet: quo die feliciter exacto, itidem totum biduum te propone facturum, quod succedet facilius: postremò totam hebdomadam, hinc totum mensem. Tandem gratia Dei te præueniente & subsequente, fiet vt facillimè abstineas, & totos etiam annos in summa continentia transigas: si quotannis vnum vitium taliter extirpares, breui in virum perfectum euaderes. Ad hunc igitur modum quotidie debes vitia tua extirpare, & in bono crescere. In morum enim disciplina non proficere, est deficere: non ingredi, est retrogredi. Cùm mens ad meliora nititur, quasi contra fluminis decursum nauis ducitur: quæ si à molimine ascendendi resoluitur, sine labore ad ima deuoluitur: in ascensu labor est, in descensu otium. Haud secus nisi ascendendo de virtute in virtutem, iustitiæ coneris apprehendere culmen, de vitio deuolutus in vitium, semper rues in præcipitium. Caue igitur, post penitentiam tibi applaudas, & quasi securus remissiùs viuas, quinimo cautiùs age, & salutem tuam in tranquillitatis portu



tu magis constitue : & licet diuina gratia quotidianam tibi donauerit victoriam , non tamen auferet dimicandi materiam , sed ne quasi confecto prælio superbias , protegentis Dei misericordia semper superesse voluit , quod vincas , vt quantumcunque viceris , nunquam à pugna cesses , semper tibi putans restare , quod superes : donec tibi aduenerit , quod perfectum est , & in te euacuabitur , quod ex parte est , in perfecta illa beatitudinis gloria.

Amen,

Quantumcunque vicerimus , tamen nunquam à pugna cessamus.

1. Cor. 13.

QVINTÆ PARTIS FINIS.



N 4

IN.





INSTITVTIONIS  
PARAENETICAE  
AD  
POENITENTIAM.

*SEXTA ET VLTIMA PARS,*

DE

PECCATORVM VENIA NON  
DESPERANDA.

QVOD OMNES PECCATORES  
SVMVS, ET DEI MISERICORDIA  
INDIGEMVS.

*CAPVT PRIMVM.*



Peccati  
agnitio, ini-  
erum salutis.

Exto & vltimò dicis, quòd ma-  
ior est iniquitas tua, quam vt  
veniam merearis: ideoque de  
damnatione tua securus, de  
agenda pœnitentia non es so-  
licitus. R. Tibi plurimùm  
congratulo, frater charissime, & Deo, quas  
possum, ago gratias, quòd non es sicut plerique  
hominum, qui peccant assidue, tamen se ne-  
sciunt peccare: qui semper prauè agunt, &  
nunquam retractant quæ egerunt, qui omne  
quod faciunt, cæca mente pertranseunt, & sta-  
tum



tum suum priusquam puniti fuerint, non cognoscunt. Quid autem infelicius, quam infelicitatem suam non cognoscere, & inter ipsa vitæ discrimina nullum infirmitatis dolorem sentire, & ægritudinem suam ignorare? Ita & nobis nihil est periculosius, quam non cognoscere, dum peccamus. Iam in te est salutis initium, quòd agnoscis peccatum tuum: non paruus iam tibi est accessus ad æternam illam felicitatem, quòd tuam agnoscis infelicitatem: iam internæ munditiæ concordas, quòd internam tuam immunditiam non negas. Tantò enim ante oculos Dei quis fit pretiosior, quanto ante oculos suos fuerit despectior. Nisi te ipsum peccatorem arbitraberis, deterius peccator efficereris: deslendus esses, si teipsum non desleres: si de te tibi sufficere confideres, à Deo, qui sibi verè sufficit, deficeres. Misericors & miserator Dominus te miserando præueniens, ob mentis tuæ oculos peccata tua obicit, & quanta pœna tibi pro his in futuro immineat, prædicit: omni via omnibusque mediis, occasionem tibi præbens conuersionis. Ut saltem ad se conuertaris pœnæ timore, qui id non faceres sui amore: paulatimque timorem seruilem in amorem conuertas filialem. Si Dominus Deus peccata tua districtè ferire vellet, ea tibi deslenda non præsentaret. Ea etenim tibi præsentat, vt de iis doleas, & per veram pœnitentiam funditus deleas, vt dum ea punieris in præsentis sæculo, nullus eadem puniat in futuro. Hæc est illa Dei misericordia peccatores præueniens, vt à peccatis suis resurgant.

Deus peccata nostra nobis ostendit.

Misericordia præueniens peccatores.



Nemo sine  
crimine vi-  
uit,

Notandum.

1. Ioan. 1.

Omnes  
peccatores

Iob. 15.

Iob. 4.

Psal. 142.

Psal. 18.

Psal. 31.

Nemo est tam circumspēctus, quin aliquando in peccatum sit collapsus: ideoque Deus nostram sciens imbecillitatem, huic necessitati (cui imbecillitas carnis subiecta est) pœnitentiæ adhibuit medicinam. Peccare est humanum, in peccatis verò permanere est diabolicum: quamdiu fragile istud corpus gerimus, sine peccato esse non possumus: nemo potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato. Si autem dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, quia in multis offendimus omnes. In mundo esse non potest sine culpa, qui in mundum venit cum culpa; qui in iniquitatibus conceptus est, sine iniquitate viuere non potest: in hac peccati carne, nemo sibi potest libertatem à peccato vendicare. Nemo viuuit sine peccato, sed ne infans quidem, cuius est vnus diei vita super terram: cæli non sunt mundi in conspectu Dei, sed & in Angelis suis reperit prauitatem, non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens. Multa in nobis peccata quotidie deprehendimus, nec tamen scire possumus quoties peccamus. Etenim delicta quis intelligit, ideo subditur: Ab occultis meis munda me, Domine. Quia igitur nemo est qui non habeat peccatum, solus ille est, verè beatus, cui peccatum suum non imputauerit Dominus, & cui remiserit impietatem peccati sui. Sufficiat nobis ad omnem iustitiam eum habere propitium, cui soli peccauimus. Omne quod ipse nobis non imputare decreuerit, sic est quasi omni-



omnino non fuerit: quis enim eos accusabit, quos Deus absoluit? Ne quis autem quasi innocens sibi placeat, & sese extollendo plus pereat: necessariè & salubriter admonetur quòd peccat quotidie, dum pro peccatis suis quotidie iubetur orare, dicens: Dimitte nobis Matth. 6. debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Cùm quis verbum contra avaritiam audit, corde compunctus eandem avaritiam odit, Recidimus subinde. rerum omnium laudat contemptum, & non plus quàm arenam deputat aurum. Sed mox ut eius animus viderit, quod concupiscat, id iam obliuiscitur, quod laudabat. Sæpè de peccatis nostris conterimur & confitemur, tamen mox ad eadem peccata reuertimur: plerunque vitam nostram ipsi reprehendimus, & tamen libenter agimus, quod in nobis reprobamus. Ad iustitiam spiritus nos erigit, & ad peccandi consuetudinem caro restringit: delectationibus carnis mens renititur, sed protinus delectata captiuatur. Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate iudicentur, quia sapius inde corruunt, vnde ante Dei oculos se placere suspicantur. Sæpe iustitia nostra ad examen diuinæ iustitiæ deducta, iniustitia est: Deus non agit nobiscum summo iure. Isaia 65. fordetque in conspectu districti Iudicis, quæ in oculis fulget operantis. Omnes iustitiæ nostræ sunt velut pannus mulieris menstruatæ. Si vita nostra districtè examinaretur, in tremendo illo examine nullus iustus inueniretur: Si Deus solummodò ostenderet seueritatem, & in iudicio suo non adhiberet pietatem: si iniquitates



lates obseruaret, & peccatoribus veniam denegaret: nemo æternæ felicitatis gloriam expectaret, nemo districti examinis rigorem ferre sufficeret. Nisi misericordia Dei super omnes extenderetur, nulli vnquam saluarentur. Nam sicut hos sua non potuerunt creare merita, ita nec eos saluare potest sola sua iustitia: quicumque saluatur, magis ex Dei misericordia quàm proprio valore suorum meritorum saluatur.

Superbis  
expedit ca-  
dere.

Simile.

Tibi forsitan sicuti & superbis expedit cadere, vt qui priùs extra teipsum in elationem efferebaris, cui ex peccato conditioni es ses obnoxius, etiam nolens & coactus recorderis: infirmatusque, quid esses, cognosceres, & propriæ præsumptionis factum deponeres. Et sicuti pro modico luto vestem non mundas, sed quoadusque plus luti contraxerit, expectas, ita & in grauiora peccata lapsus es, vt etiam leuiora dilueres. Maior enim culpa quò citius agnoscitur, eò celerius emendatur: minor verò dum quasi nulla creditur, eo peius, quò & securius in vsu retinetur, tandemque mens malis minùs grauibus assueta, ne grauiora quidem exhorrescit, atque ad quandam autoritatem nequitix per culpas nutrita peruenit, tantòque magis in grauioribus contemnit pertimescere, quantò magis in leuioribus didicit non timendo peccare.

Itaque, frater charissime, ne diffidas, ne desperes, ne animo concidas, in peccatum quidem corruisti, sed inde potes resurgere: Deum offendisti, sed eum per pœnitentiam potes placare.



care. Dederat tibi præcepta, ne peccares, & tamen peccanti dedit pœnitentiæ remedium, ne desperes: quantumcunque peccaueris, parceret tibi Dominus, si pœnitueris.

QVOD NVLLVM EST PECCATVM TAM GRAVE, QVIN PER VERAM POENITENTIAM SIT REMISSIBILE.

CAP. II.

**A**T dixeris, Sed ego Deum super omnem hominem offendi, & super numerum arenæ maris peccaui: multa peccata mea eius generis sunt, de quo Matthæi duodecimo dicitur: Si quis peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. R. mentiris, frater charissime, sicut & Cain: maior est Dei pietas, quàm tua impietas: maior est Dei misericordia, quàm tua miseria. Potes de peccatis tuis consequi veniam, quia Dei bonitas humanam vincit malitiam. Peccata omnia ab origine mundi commissa qualitate & numero sunt finita, Dei autem misericordia nec numerum habet, nec mensuram, ideo peccatorum omnium numerum superat & grauitatem: plus potest Deus parcere, quàm omnes homines possint peccare. Peccata omnia si ad Dei conferantur misericordiam, sunt quasi vna guttula ad totam maris aquam: & quasi tela araneæ, quæ nusquam comparet vento flante.

Magni

Genes. 4.

Misericordia Dei infinita, peccata autem finita.



Desperare  
quid sit.

Magnitudinem morbi tui vides, & potentiam Medici non vides: ideóque peccatis tuis desperas veniam, iisque Dei comparas misericordiam. Nihil aliud est desperare, quàm Deum peccatis suis comparare. Si Deus peccatorum magnitudine victus non potest ignoscere, detrahis ei omnipotentiam: si non vult quod potest, eum facis mendacem, qui id præstare nolit, quod toties per ora Prophetarum promisit. Ego sum, (inquiens) qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero, tu autem memor esto.

Esaie 43.

Desperatio  
maximum  
peccatum.

Plus de te despero quia desperas, & te plus de desperatione, quàm de aliis peccatis tuis damnas: ipse te in æternum perimis, qui apud patrem misericordiæ ad pœnitentiæ remedia non recurris. Animæ mors est peccatum aliquod perpetrare, eius verò desperare veniam est in infernum descendere. Hinc Iudas magis Deum offendit, in eo quòd per desperationem seipsum suspendit, quàm in eo, quòd per malitiam eum tradidit. Desperatio reddit hominem maledictum, & protectione Dei indignum.

Iudæ de-  
speratio.

Peccatum  
nullum est  
irremissi-  
bile.

Ezech. 33.

Sed ne forte hinc colligas desperationi tuæ, aliisque peccatis tuis non esse paratam Dei misericordiam, sed iis quædam duntaxat, qui leuia peccata admiserint; audi Dominum clara voce pollicentem, Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Nullum criminum genus excipit, nec multitudinem aut magnitudinem peccatorum perpendit, qui omnia omnium peccata

cata



cata redemit, eorumque remittendorum potestatem Sacerdotibus suis sine vlla exceptione concessit. Tantum ingemisce & conterere, & parata tibi est omnium superiorum peccatorum obliuio: si multa & magna sunt peccata tua, multa & magna est Domini misericordia. Miserebitur tui Dominus secundum magnam misericordiam suam, & secundum multitudinem miserationem suarum delebit multitudinem iniquitatum tuarum.

Quod autem obicis mihi illud Matthæi duodecimo, Si quis peccauerit in Spiritum sanctum, & cætera. R. Peccatum in Spiritum sanctum (id est, quod fit ex certa malitia contra bonitatem & misericordiam Dei, quæ peculiariter attribuitur sancto Spiritui) ideo dicitur irremissibile, quia directè obuiat Dei bonitati & misericordiæ: quæ & remissionis peccatorum est principium, sicque id excluditur, per quod remitti debet peccatum: sicut & morbus dicitur incurabilis, qui directè tollit remedia curationis. Peccatum illud irremissibile dicitur, non quin pœnitenti remittatur, sed quia, qui sic peccauerit, de misericordia Dei aut desperat aut præsumit, sicque peccatis alia peccata addit: ideoque in malis suis obstinatus, sicut vix & rarò peruenit ad pœnitentiam, ita & peccati sui vix & rarò consequitur remissionem. Sed de nullo peccatore desperandum est, quamdiu Dei patientia eum adhuc ad pœnitentiam expectat, nec eum adhuc ex hac vita eliminat. Paganus aut Iudæus est hodie, nõne cras fieri potest Christianus? hæ-

Peccatum in Spiritum sanctum.

Notandum,

Peccatum irremissibile.

Peccatum irremissibile quid sit?

De nullo, quamdiu viuit, est desperandum.

retio



reticus est, quid si cras sequetur catholicam  
 veritatem? schismaticus est, cur non cras am-  
 plecti poterit catholicam pacem? Nemo igitur  
 est desperandus, quamdiu in hac vita est con-  
 stitutus, quia nonnunquam pœnitentia, quæ  
 diffidentiâ ætatis differtur, consilio maturiore  
 perficitur. Donec in hac vita sumus, nullum  
 est peccatum, nulla est iniquitas, quæ non pœ-  
 nitentiæ medicamento sanetur, si conuersio pura  
 & sincera habeatur. Quod peccatum grauius esse  
 potest homini ægrotanti, quàm interfectio sui  
 Medici? quòd si ei dimittitur, quid non dimitti-  
 tur? Christus in cruce pendens pro crucifixoribus  
 suis Patrem rogauit dicens: Pater, ignosce illis,  
 quia nesciunt, quid faciant. Si salutis spes il-  
 lis reddita est, à quibus Christus occisus est:  
 quis iam de sua salute desperet? Dominus  
 etiam Iudam, qui eum tradiderat, ad pœniten-  
 tiam & implorandam misericordiam inuitabat,  
 dum suæ proditionis eum præmoneret, & pe-  
 des ei sicuti & aliis ablueret, dum eum voca-  
 ret amicum, & oblatum ab eo exciperet oscu-  
 lum. Si Christus crucifixoribus suis non so-  
 lum pepercit, sed etiam pro iis patrem rogauit:  
 si Iudam inuitauit ad pœnitentiam, quantò ma-  
 gis pœnitenti tibi dabit veniam? Tu suæ ma-  
 iestatis es adorator, non sui corporis interfe-  
 ctor: suæ mortis venerator, non suæ passionis  
 derisor: suæ misericordiæ contemplator, non  
 suæ infirmitatis contemptor, & apud eum tibi  
 desperas veniam, & peccatorum tuorum re-  
 missionem?

Crucifixori-  
 bus parci-  
 tur.  
 Luc. 23.

Iudas ad  
 pœniten-  
 tiam inuita-  
 tur.  
 Ioan. 13.



Itaque, frater charissime, à spei firmitate nulla te peccatorum tuorum qualitas, nulla te frangat quantitas: etiam si commisisses omnia peccata, quæ ab origine mundi sunt commissa: ne sic quidem eorum deberes desperare veniam, quia Dei bonitas humanam vincit malitiam. Si tantum peccare potes, quantum Deus bonus est, per me tibi licet, vt desperes. Quodd cum fieri non possit: qui de te malo desperas, de Deo te meliore confidas. Peccasti, peccati pœniteat te: millies peccasti, millies pœniteat te. Pœnitentiam age, & appropinquabit tibi regnum cœlorum. Deus ad pœnitentiam non hortaretur, nisi pœnitentibus veniam polliceretur. Inter completam pœnitentiam & regnum cœlorum, nihil est intermedium: age pœnitentiam de peccatis tuis, & in momento patebit tibi ianua cœlestis. Peccata tua separant inter te & Deum: quæ obstacula si per pœnitentiam tollas de medio, iam adhærebis Deo, vnusque spiritus eris cum eo. Dignos fac fructus pœnitentiæ, & contraria contrariis redime: & qui antea agebas contraria Deo, nunc contraria agas diabolo.

Desperandum de nullis peccatis. Pœnitentiæ vis.



O

EXEM-



EXEMPLA EORVM, QVI GRA-  
VISSIME PECCAVERVNT, ET  
PER POENITENTIAM SALVI  
FACTI SVNT.

CAP. III.

**A**T obiicies mihi illud Matthæi septimo,  
Angusta porta & arcta via est, quæ du-  
cit ad vitam, & pauci, qui inueniunt  
eam. Et primæ Petri quarto, Si iustus quidem  
vix saluabitur, impius & peccator vbi pare-  
bunt? R. Verum quidem est, frater charissime,  
quòd pauci viam vitæ inueniunt: sed vnde  
hoc? certè quia pauci eam quærunt. Omnis  
autem, qui quærit, inuenit; omnis, qui petit,  
accipit, & omni pulsanti aperitur. Quis ergo  
eam non inuenit? quis non accipit? aut cui  
non aperitur? certè ei tantùm, qui non quærit,  
qui non petit, aut qui pulsare negligit. Quod  
autem vix iustus saluabitur, hinc est, quod ex  
sua iustitia nemo salute dignus inuenietur; non  
enim ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos,  
sed secundùm gratuitam suam misericordiam  
Deus nos faciet saluos. Diuini est muneris,  
non nostri per se operis, quòd saluamur: ni-  
hil enim est tantillum boni operis, quod etiam  
Deus operatur in nobis, si ad æternam illam  
beatitudinem conferatur. Cæli iustorum tan-  
tùm sunt per diuinæ iustitiæ rigorem: sed vt  
mnes salui fiant, peccatorum etiam facti sunt per  
diuinæ gratiæ largitatem. Christus nobis omni-  
bus paradisum meruit, & sua morte paternam  
hæreditatem nobis restituit. Omnes vocat ad  
cæle-

Via vitæ.  
Cur pauci  
viam vitæ  
inueniant.

Vix iustus  
saluabitur.



caeleste illud conuiuium, discumbentibus vult Lucæ 14.  
impleri suam domum: etiam debiles, cæcos &  
claudos compellit ingredi, vt à cælestibus illis  
& perennibus gaudiis nemo significetur ex-  
cludi. Numerus Sanctorum, semper de nu-  
mero auctus est peccatorum.

Sed quoniam plus mouent exempla quàm Ab exem-  
plis demon-  
stratio.  
verba: superest, vt qui verbis meis non accen-  
deris, saltem exemplis aliorum exciteris, vt cum  
videris multos per spatiosam viam (quæ eos  
duceret ad perditionem) aliquando ingressos  
esse, & postea arctam viam (quæ ducit ad vi-  
tam) inuenisse, eam itidem non desperes in-  
uenire: & cum multos iniustos per Dei gra-  
tiam iustificatos & saluatos videris, tu itidem  
non abiicias spem salutis.

Aaron post conflati vituli pœnitentiam à Aaron.  
Exod. 28.  
Maria.  
Numeri 129.  
Deo in summum delectus est Sacerdotem. Ma-  
ria soror eius postquam lepra percussa est, quia  
in Moysen murmurauit, accepta pœnitentia  
sanata est, & pristinam prophetizandi gra-  
tiam recepit. David sag-  
cinus. David Rex & Propheta erat,  
eum secundùm cor suum Dominus inuene-  
rat, & ex eius semine Christum nascitu-  
rum promiserat: at in quàm fœdum cri-  
men, & quàm multiplex, vir tantus pro-  
lapsus est? Audiuit à Propheta Nathau pro-  
lixas Domini minas grauemque vltionem,  
& totam illam Dei iram duobus verbis vertit  
in misericordiam. Nota. Peccaui (inquit) Domino.  
Ac mox non solum à Propheta audire meruit,  
Transtulit abs te Dominus peccatum, sed etiam  
O 2 quem



Achab.  
3. Reg. 21.

quem peccando amiserat, prophetiæ recepit spiritum: posteris suis eius profuerunt merita, & propter David seruum suum Deus multa ab Israël auertit mala. Durus erat Achab, sæpè obiurgantem Dominum contempserat, scelera sceleribus accumulârat, & occiso Naboth, vineam illius occupârat: tandem atrocibus Dei minis perterritus, & scelerum suorum conscius pœnituit, cilicio & ieiunio facinus suum defleuit, sicque Dei erga se misericordiam prouocauit. Et factus est sermo Domini ad Heliam, dicens: Nõne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. Manasses scelerum impietate omnem memoriam superauit, diuinæ legis obseruantiam & cultum euertit: & tamen post cruenta flagitia in regnum suum est reductus, & inter Dei amicos numeratus.

Manasses.  
2. Paral. 33.

Nabuchodonosor  
hominum superbissimus  
septem annis in  
pecoris herbas comedit.  
Dan. 4.

Nabuchodonosor hominum superbissimus, nullumque agnoscens Dominum, honorem sibi arrogabat diuinum. Deus autem volens eum saluum fieri, dementatum & septem annis inter feras herbarum radicibus pastum, ad sui eum reduxit cognitionem, eumque peracta pœnitentia in pristinam restituit regni dignitatem: restitutus Deum laudauit: & glorificauit, eius expertus misericordiam.

Filius prodigus.  
Luca 15.

Et vt veteris testamenti innumera exempla prætermittamus: Filius prodigus, qui cum meretricibus consumpserat vniuersam suam substantiam, ad patrem suum reuersus per pœnitentiam: non modò paternum osculum, sed etiam



etiam vituli saginati promeruit epulum, re-  
 cepitque prioris gloriæ statum. Zachæus Zachæus.  
Lucæ 19.  
 publicanis & raptoribus publicanus ipse &  
 raptor præfuit, & tamen si quid alicui ab-  
 stulit, quadruplum reddidit, & ad ipsius  
 hospitium Dei filius diuertit. Matthæus Matthæus.  
 publicano Apostolus & Euangelista est ef-  
 fectus. Maria Magdalena illicitum in se a- Magdalena  
 morem carnis, igne diuini excoxit amoris:  
 tantumque gratiæ locum apud Dominum in- Math. 28.  
 uenit, vt ipsis quoque apostolis nuntia resurre-  
 ctionis extiterit. Columna ecclesiæ, funda- Petrus  
 mentum fidei, primus Apostolorum Petrus la-  
 psus erat in fide: sed egressus foras, fleuit a-  
 marè, & trinæ negationis veniam consecutus,  
 Pastor Ecclesiæ est confirmatus: & qui timi-  
 dus negauerat Christum, postea factus est Prin-  
 ceps Christianorum: fideliorque factus est, Math. 16.  
 postquam fidem se perdidisse defleuit, atque  
 ideo maiorem gratiam reperit, quàm amisit.  
 Sed cur omnipotens Deus eum (quem vni- Cur Deus  
permisit  
Ancillæ vo-  
cem Petrum  
timere.  
 uersæ Ecclesiæ suæ præficere disposuerat) an-  
 cillæ vocem pertimescere, & se ipsum negare  
 permittebat? id nimirum magnæ actum est  
 pietatis dispensatione, vt is qui futurus erat  
 pastor Ecclesiæ in sua culpa disceret, qualiter  
 aliorum misereri deberet: prius eum sibi o-  
 stendit, & postea eum cæteris præposuit. Paulus.  
 Paulus ex persecutore fidelium, Doctor & Apo-  
 stolus factus est gentium. Sed multò maxi- Dysmas la-  
tro.  
 mam veniæ præstat fiduciam latro ille, qui vel  
 suo ipsius iudicio reus erat mortis supplicio:  
 cuius culpa certa erat, ideóque damnationem



Lucæ 23.

temporalem & æternam meruerat: qui iam temporali morti erat suspensus, & æternæ morti propinquissimus, & tamen in ipso crucis patibulo Christum agnoscens solum dixit: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et mox audire meruit ore dominico: Hodie mecum eris in Paradiso. Latroni regnum, crucifixo cælum, & damnato Paradisum, eadem die promisit possidendum: vberior fuit gratia Dei promittentis, quàm precatio latronis supplicantis: plus ille promisit, quàm hic petiuit: conuersus pœnituit, & à Deo remissionem obtinuit. Ille, qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce, qualis à cruce recedit ex gratia? de latibulis suis ascendit in patibulum, & de patibulo in paradisum: de ipsa pœna criminis peruenit ad præmia virtutis.

Infinite exempla diuina misericordie exstant passim in sacra Scriptura.

Electi cur à Domino permittantur peccare.

Sed cur tot exempla, cur tot diuinæ misericordie produco testimonia? nulla est sacrae Scripturae pagina, in qua non reluceat Domini misericordia, cuius etiam plena est tota terra. Qui multos ab iniquitatibus suis sanatos audis, quid aliud quàm supernæ misericordie pignus accipis? Idcirco omnipotens Dominus electos suos in quibusdam lapsibus permisit corruere, vt sicut illi resurrexerunt, ita & qui in similibus corruerunt, sperent pariter resurgere, & quos secuti sunt peccantes, sequantur etiam pœnitentes. Quid in omnibus his debes aspicere, nisi immensam Conditoris nostri misericordiam, qui tibi ad pœnitentiæ & conuersionis exemplum eos obiicit, quos post lapsum per pœnitentiam viuere fecit?

Quod



Quòd me non audis, & peccatorem saluari posse adhuc non credis, magis audi Deum, quàm me ipsum: magis ei crede quàm mihi: veritas est, falli nequit, & fallere non potest. Nolo (inquit) mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Deus non vult mortem peccatoris, qui mori voluit pro eius peccatis: vult, vt mors sua sit fructuosa, & per eam redemptio copiosa. Imò & ipsum nomen IESV, id est, Saluatoris, quid aliud pollicetur peccatori, quàm salutem & misericordiam? venit in mundum peccatores saluos facere & ab ea, qua tenebantur damnatione, liberare. Non est opus sanis Medicus, sed malè habentibus: & ideò non venit vocare iustos, sed peccatores: missus est ad oues, quæ perierant, domus Israël. Non est voluntas Pastoris, vt vna pereat de ouibus sui gregis. Qui habens centum oues, si ex illis perdiderit vnã, dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam. Sic non est voluntas Patris nostri & Creatoris, vt vnus pereat de filiis suis & creaturis: quòd si perit, suã, non Dei voluntate perit; Dei etenim misericordia in communi posita est, datúrque omni petenti, & sese offert omni quærenti; nemo illius est expers, nisi qui eam à Deo postulare neglexerit. Perlege totam Christi vitam, & nullum inuenies, qui clamauerit, Iesu, fili Dauid, miserere mei, quin mox consecutus sit misericordiam. Sanauit ægrotos, pauit famelicos, subleuauit periclitantes, restituit mancos & debiles, mundauit leprosos, illuminauit

Ezech. 18.

Nomen Iesu.

Non est opus sanis Medicus.

Matth. 9.  
Matth. 15

Lucæ 15.

Nemo vnquam expers fuit diuinæ misericordie, qui eam petiit.


Nota.



cacos, mortuos suscitauit, & pœnitentes absoluit.

Exempla  
pœnitentiæ.

Itaque, frater charissime, caue post hac mihi dicas: superbus sum, auarus, luxuriosus, & omni peccato obnoxius, ideóque saluari non possum. Nolo mihi hanc tuam ignauiam prætendas, nolo mihi vllas excusationes afferas: habes exempla omnium, potes ad quem volueris confugere portum. Si in fide lapsus es, aspice Petrum: si contra proximum in malitia crudelitatis exarsisti, perpende latronem: si aliena diripuisti, intuere Zachæum: si carnis munditiam perdidisti, considera Magdalenam, & sic de aliis. Qui in eadem sicut & tu peccata corruerunt, sed sicut & tu eorum veniam non desperârunt: vnde cum fiducia adeuntes diuinæ misericordiæ thronum, plus gratiæ & misericordiæ inuenerunt, magisque pium & misericordem senserunt, quàm credebant. Tu itidem eorum exemplo ne desperes, ne animo concidas, sed per pœnitentiam ad Deum te conuertas, si eum peccatorum tuorum veniam orabis, eam sicut & illi exorabis. Eam solum pete, & accipies, quære eam, & inuenies: non nouit Dominus differre, quem contrito corde sibi senserit supplicare.



QVOD



QVOD CONVERSO DOMI-  
NVS NON NEGAT VENIAM, QVI  
ETIAM AVERSVM INVITAT AD  
CONVERSIONEM.

CAP. IV.

**A**T dixeris, Considero quanta inter Deum  
& me est differentia, & quòd ab eius  
oculis propter mea excludor demerita.

Et idcirco desperans impetrare, existimansque  
me indignum ad eum venire, non audeo ocu-  
los ad eum eleuare. R. Deus, frater charissi-

me, cuius natura bonitas, cui familiaris suavi-  
tas: totus clemens est & pius, magisque ad  
misericordiam quam ad vindictam pronus: di-

ues est in misericordia, & munificus in gratia.  
Ei proprium est misereri semper & parcere,  
ideoque contrito corde misericordiam petenti,

non potest denegare: nullum pœnitentem de-  
spicit, nisi qui petere dubitauit: Nullus in eo  
sperauit & confusus est, nullus in tempore op-

portuno veniam petiuit, & repulsam passus est.  
Si Deus peccatores non audiret, frustra publi-  
canus dixisset, Deus, propitius esto mihi pec-

catori, nec ex ista oratione meruisset iustificari  
Ne punire peccatores debeat, rogari vult ipse,  
qui iudicat: vult veniam precibus à se exigi,

qui quantum meremur, non vult irasci: vult  
placari precibus, qui scit, quòd portari non po-  
test iratus. Ipse sibi testis est, quia inuocanti-

bus misereri desiderat, qui ad se inuocandum  
nos prouocat. Inuoca me (inquit) in die tri-  
bulationis tuæ, & eripiam te & magnificabis

me.

Deus totus  
misericors.

Deus multo  
plus ad mi-  
sericordiam,  
quam ad  
vindictam  
pronus.

Peccatores  
Deus exau-  
dit.

Lucæ 18.

Rogari  
vult Domi-  
nus.

Psal. 49.



Matth. 7.  
Simile.

Homo ad  
Dei ima-  
ginem crea-  
tus.

Christus mi-  
tis homini-  
bus.

Deus plus  
desiderat  
veniam dare  
quàm nos  
accipere.

me. Et alibi. Petite, & dabitur vobis; quærite & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Si patres carnales, etiam mali cum sint,auerunt bona dare filiis suis; quanto magis pater noster cœlestis, qui bonus est, bona dabit petentibus se filiis? Si ad Deum accedere propter peccata tua diffidas, propter patris erga filium bonitatem confidas. Confide apud eum, cuius te insignem cernis imagine, & illustrem similitudine: quid veteris de maiestate, cui fiducia datur origine? Otiosa non est apud Deum animæ generosa cognatio, & cognationis testis similitudo: similis similem libenter in societatem admittit, & de ratione naturæ similis similem sibi quærit.

Mediator Dei & hominum Iesus Christus, homo pro hominibus factus, mitem se præbet hominibus. Ne qua tibi desperandi causa superesset, utque tibi homini apud Deum fiduciam præberet: Deus homo factus est, & aduocatus tuus factus est iudex tuus. Non denegabit se petenti, qui vltro sese obtulit non petenti: & quærens eum, inueniet, qui non quærenti dedit, ut inueniret: & pulsanti aperiet, qui stat ad ostium & pulsat incessanter. Eum exhilarat peccatorum conuersio, & veniam desperas tibi conuerso? Plus desiderat veniam dare, quam tu accipere; plus peccata tua remittere, quam tu ea dimittere, & de iis pœnitentiam agere. Te magis vult sua pietate saluare, quam tu tuo peccato perire. Tu mori voluisti peccando, ipse verò mortem tuam non vult, te ad pœnitentiam expectando.

Stat



Stat cum magna charitate ad tuæ mentis ostium, clamans: Fili, præbe mihi cor tuum, Ipse de se profitetur, Si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum. Prouerb. 23.  
Apocal. 3.

Si pauper aliquis multum offendisset Regem, & Rex prior vocaret eum ad pacem: maximum esset regis benignitatis argumentum, & cum maiori fiducia pauper veniret ad eum. Simile.  
Rex pauperem prior  
vocans ad  
pacem,  
Deus auer-  
sos reuocat.

Et tu ad Deum conuerti pertimescis, qui etiam rogat, ut ad se conuertaris? & qui non solum à conuersis non auertitur, sed etiam ad auersos conuertitur, & ad conuersionem cohortatur? Et quare moriemini, (inquit) domus Israël? reuertimini & venite. Et alibi: Si dimiserit vix uxorem suam, & illa recedens duxerit virum alium, nunquid reuertetur ad eum ultra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus tuis multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Ezech. 18.  
Hierem, 3.

Mulieris repudiatæ, & fornicantis similitudinem adducit, ostendens, quod post fornicationem & turpitudinem suam recipi non possit: sed ipsum exemplum quod protulit, vicit: dicens recipi non posse fornicantem mulierem, & tamen se recipere velle fornicantem animam. Ecce, peccatricem animam reuocat, etiam quam inquinatam denuntiat: ad eam recipiendam supernæ pietatis sinus aperitur, nec maculosa eius vita contemnitur. Mulier fornicaria.  
  
Anima fornicans recipitur à Deo.

Quæ lingua diuinæ pietatis viscera narrare sufficit? quæ mens tantæ misericordiæ diuitias non obstupescat? Despicitur, & expectat: contemni se videt, & reuocare non cessat. Deus despicius adhuc reuocat,

sat.



Misericordiae diuinæ est, quod homo peccans statim non damnatur, & pereat.

fat. Vltionis sententiam diu suspendit à contemne, vt quandoque exhibeat gratiam remissionis in pœnitente. Dominus venire differt; iam venisset, si vellet: & tamen ad veniendum tardat, ne inueniat, quod in te puniat. Si voluisset tuam damnationem, dum peccasti, in infernum detrussisset tuam animam: misericordiae Dei est, quod consumptus non es. Quod enim Deum non metuis, & tamen viuas: quod peccare non desinis, & tamen proficias: quid aliud est, nisi quod misericors Dominus quem expectando vult corrigere, aspiciendo non vult corripere? propterea expectat Dominus, vt misereatur tui. Cuius vt & bonitas tuam vincat malitiam, & patientia cordis tui emolliat obstinationem: instar bonæ matris te ad se allicit blandiendo, quem reuocare non potest comminando: dum sua abs te beneficia non subtrahit, solem suum super te, sicut & super alios, oriri facit, & tibi sicut & aliis necessaria suggerit. O veneranda Dei pietas! peccamus, & parcat: delinquimus, & ignoscit: eum in multis offendimus, nec tamen sua à nobis beneficia subtrahit. Vnde qualis erga iustos sit, demonstrat, cum se erga peccatores talem exhibeat.

Matth. 23.

Notandum pro diffidente.

In Euangelio etiam lachrymis prosequitur Hierosolymam, quæ pertinacia peccandi sibi accersebat damnationem. Quoties (inquit) volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Plorat clementissimus Dominus, quod perditissimos sibi saluare non liceat, &



tu diffidis, quòd tibi conuerso misericordiam exhibeat? Duo in eo sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta, scilicet in expectando longanimitas, & in condonando facilitas: quia & patienter expectat delinquentes, clementer recipit pœnitentes: peccata hominum & per patientiam tolerat, & per eorum pœnitentiam relaxat: vt vel serò redeant, & hoc ipsum, quòd expectati sunt, erubescant. Quodocunque conuertuntur, mala obliuiscitur præterita, & bona promittit futura. O maxima Dei patientia, qua parcit contemptus, parcit etiam negatus. Te peccare vidit, & pertulit: priùs peccare prohibuerat, & tamen post peccatum ad veniam te expectat.

Misericordia Dei duplex.

Si famulus tuus loquenti tibi superbiret, faciem in terga mitteret: contemptus superbiam eius ferires, & vulnera districtæ animaduersionis infligeres. Sed tu à Deo auersus es, & ad te conuertitur: eum fugis, & te post tergum sequitur: videt, quòd despicitur per suam pœnitentiam, & tamen te adhuc expectat ad pœnitentiam. Cum omni exhortatione, beneficiorum collatione, interna inspiratione: in proprio bono & propria vtilitate Dei voluntatem non vis facere: & quo modo is exaudiet te in die necessitatis pro te supplicantem, cum tu pro teipso eum non audias te rogantem. Quoties enim dixit tibi Dominus, Conuertere ad me, & ad eum non es conuersus? Si tui misereri nolle, eum rogares, vt vellet: nuncautem tui vult misereri, & non vis: te ad pœnitentiam inuitat, & id negligis? Si non for-

Similitudo. Famulus dominum suum contemnens.

Ad contemptum Dei adhortationem oratio.




**Deus con-**  
**temptus, fe-**  
**rit grauius,**

**Nota,**

formidas iustitiam Dei vindicantis, saltem eius erubescere bonitatem te ad se vocantis: & pœnam peccatis tuis debitam qui experiri poteras percussus, saltem erubescere expectatus. Ne quem nunc tranquillum despicias, iratum postea videre non possis: tantò enim grauiori malitia contemnitur, quantò etiam contemptus reuocare non dedignatur. Dum collata vitæ remedia ad culpæ augmentum trahi conspicit: ipsam quam contulit benignitatem, in iudicii conuertit distractionem, vt inde amplius feriat, vnde modò amplius expectat.

**Orationis**  
**importuni-**  
**tas.**  
**Importuni-**  
**tas hæc est**  
**commendabi-**  
**lis, ac Deo**  
**accepta.**

Itaque, frater charissime, dum misericors Dominus te sustinet, dum ad vltionem manum erigere differt: eum postula indulgentiam, qui eius contempsisti legem: liceat veniam petere, cui culpam non licuit contrahere, Pete veniam precibus, quære eam vigiliis & laboribus: fac, quod potes, vt amplius possis, & perseuerando accipies, quod petis. Ea misericordi Domino importunitas placet, quæ hominibus odiosa esse solet. Peccatorum venia, precum exoretur instantia, vt Dominum, quem peccata tibi fecerunt iracundum, reddant obsequia digna placatum: & qui à te fuerat peccatis offensus, per pœnitentiam tibi misericors reddatur & pius.





QVOD MVTATO PECCATORE  
 DEVS MVTAT SENTENTIAM,  
 QVIA EIVS VITAM MAVVLT  
 QVAM MORTEM.

CAP. V.

**A**T dixeris, non est Deus quasi homo, vt Num. 23.  
 mentiatur, nec quasi filius hominis, vt  
 mutetur: ipse dixit Ezechielis decimo  
 octauo, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.  
 Hæc Dei sententia immutabilis est, quia Deus  
 mutari non potest. R. Verum quidem est, fra-  
 ter charissime, quòd anima quæ peccauerit, *Pœnitentia*  
 ipsa morietur; quia per peccatum æternam *uiuificat.*  
 damnationem meretur: sed huic animæ mor-  
 tuæ pœnitentia medetur: pœnitentia reddit,  
 quod peccatum detraxit: per hanc reparatur  
 vita gratiæ, in qua anima decedens euolat ad  
 vitam gloriæ: nec ei plus nocent peccata præ-  
 terita, quàm homini sano sanati morbi & vul-  
 nera. Quamuis hæc anima peccauerit, tamen  
 non morietur, quia pœnitendo peccatum suum  
 deleuit, per quod æternæ morti obligabatur.  
 Cessante causa cessat & effectus, nouit Deus  
 mutare sententiam, si tu noueris mutare tuam  
 vitam. Si mihi non credis, Domino crede:  
 Impietas impii (inquit) non nocebit ei, in qua- *Ezech. 33.*  
 cunque die conuersus fuerit ab impietate sua.  
 Item alio loco, Si pœnitentiam egerit gens il- *Hierem. 18.*  
 la à malo suo, quod locutus sum aduersus eam,  
 agam & ego pœnitentiam super malo, quod  
 cogitaueram, vt facerem ei. Deus qui im- *Pœnitentia*  
 mutabilis & impassibilis est, nulla mutatione *Dei,*  
 aut



aut passione affici potest: tamen mutari & pœnitore dicitur non secundum rei veritatem, sed secundum hominis modum & similitudinem. Sicut enim homo mutari & pœnitere dicitur, dum consilium mutat, & malum facere non vult, quod proposuerat: ita & Deus mutari & pœnitere dicitur, dum malum non infert, quod minabatur. In quo consilium non mutat; ea enim, quæ ab æterno præordinauit, immutabiliter eueniunt, sed rem ex se mutabilem prout voluerit, mutat, secundum quod hominum merita aut demerita requirunt: quod non arguit mutationem in Deo, sed tantum in libero hominis arbitrio.

Ezechias.  
4. Reg. 20.

Isaiæ propheta sermo ad Ezechiam.

Niniuitarum pœnitentia.  
Ione 3.

Aegrotauit Ezechias vsque ad mortem, & venit ad eum Esaias, & dixit ei, Hæc dicit Dominus Deus, dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues: conuertensque Ezechias faciem suam ad parietem, orauit Dominum, & fleuit fletu magno. Et antequam egredere-  
tur Isaias mediam partem atrii, factum est verbum Domini ad eum dicens, Reuerte, & dic Ezechia: hæc dicit Dominus Deus David patris tui, Audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam: & ecce, sanauit te, die tertio ascendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos. Niniuitæ audiebant Ionam prophetam ex diffinito comminantem, Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Sed ne sic quidem viri Niniuitæ animis conciderunt: quinimo quamuis non satis considerent posse exorari Dominum, tamen ad pœnitentiam quasi ad salutis portum confugerunt.



runt. Credideruntque in Domino & indixerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore usque ad minorem dicentes: Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. Ezechias de morte sua iam latam sententiam reuocari lachrymis impetrauit. Niniuitarum pœnitentia iam promulgatam de suæ ciuitatis exterminio sententiam reuocari promeruit: tamen nec Prophetæ fallaces exstiterunt, qui quo tempore ii pro peccatis suis mori merebantur, prædixerunt: sed diuinæ misericordiæ largitas eos illo tempore ad mortem distulit, quod ante sæcula præordinauit.

Quod si imperiti illi & barbari non desperarunt, & iam lata contra se mortis sententia animis non conciderunt, quid desperas miser? quid animo concidis? Deum spoliās misericordia, sine qua Reges non sunt Reges, sed tyranni. Sententia illa, Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur, de anima, quæ de peccato suo non egerit pœnitentiam, intelligitur, sicut & dicitur in humanis iudiciis, quod si quis hæc vel illa fecerit, mulctabitur pœna mortis; tamen semper intelligitur: nisi reus regia benignitate absoluator. Non sic est de diuina iustitia, sicut de humana. In hac quod magis crimen suum reus confitetur, eò plus pœnæ ipsi irrogatur: in illa verò quanto magis peccator se accusauerit, tantò maiorem erga se Dei

Anima, quæ  
peccauerit,  
&c.

Quomodo  
hoc sit intel-  
ligendum.

Iustitiæ di-  
uinæ ad hu-  
manam  
comparatio.



miseri cordiam sentit: sicut repellit Deus peccata sua defendentem, ita recipit confitentem. Si pœnitentiæ scires efficaciam, peccatorum non desperares veniam: libenter obliuiscitur misericors Dominus, quòd nocentes fuimus. & pœnitentiam nostram nobis ad innocentiam deputare est paratus. Si de peccatis nostris pœnitentiam egimus, iam districtæ illius sententiæ rigorem euasimus; Deus superiorem vitam nostram nobis non imputat, modò eius nos pœniteat: videns mutata opera, libenter mutat sententiam, quia vitam mauult peccatoris quàm mortem: nec lætatur in perditione animarum, sed voluntas eius est sanctificatio nostra. Stantibus, si ceciderint, minatur pœnam, quam pertimescentes non corruant: lapsis verò promittit misericordiam, de qua confidentes resurgant. Illos terret, ne præsumant in bonis, hos refouet, ne desperent in malis.

*Pœnitentiæ  
v. 16.*

*Maternus  
amor ad fili-  
um.*

*Isaïæ 49.*

Sicut enim mater beneuola dilecto filio minatur verbera: qui si culpam suam agnoscens matris misericordiam implorauerit, eam materna pietas facillè condonabit: sic etiam misericors & miserator Dominus patiens & multæ misericordiæ, etsi peccatis nostris iustè irascitur, tamen veniam rogatus multa facilitate placatur. Nunquid obliuisci potest mater infantem suum (dicit Dominus) vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Beneuola mater ægrotantis filioli summopere desiderat sanitatem, sed multò plus peccatricis animæ Deus deli-



desiderat salutem. Quamvis infinitæ Dei bonitati nulla humana bonitas possit conferri: tamen quia summæ affectionis nullum inueniri potest maius exemplum, quàm matris erga filiolum suum: ideo erga peccatorem charitas Dei maternæ comparatur affectioni. Nemo amatorum carnalium ita exardescit in amorem sponsæ suæ, sicut Deus in amorem animæ tuæ.

Dei erga nos charitas.

Maiorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis. Christus autem etiam si fuisset solus, pro te fuisset passus & mortuus, antequam animam tuam dimisisset in diaboli faucibus. Pro quibus enim mortuus est, nunquid pro iustis? Paulum interroga, Christus (inquit) pro impiis mortuus est. Si nullum fuisset in mundo peccatum, Christus non effudisset sanguinem suum. Quid enim necesse erat, ut Deus sanguinem suum effunderet, nisi ut tua & totius mundi peccata redimeret? Minima gutta pretiosi illius sanguinis, abundè sufficiebat pro redemptione totius humani generis: tamen ut summam suam erga nos exprimeret charitatem, totum suum pro nobis effudit sanguinem: multa dixit, multa fecit, multa passus est, dum nos redimeret: tamen quos solo verbo creauerat, solo verbo reparare posset. Accepit mortem nostram, ut nobis daret vitam suam: vitam attulit nobis, mortem verò accepit à nobis, nec tamen pro suo merito, sed pro nobis. Venit ad regionem peregrinationis nostræ accipere, quod hîc abundat: opprobria, flagella, colaphos, sputa

Christus passus pro peccatoribus.

Nota. Christus cur totum suum sanguinem effudit.



*Speranda  
beatitudo.*

*Ioan. 12.*

*Rom. 5.*

*Angelorum  
gaudium  
super pœni-  
tente.*

in faciem, contumelias, spineam coronam, crucem & mortem: hæc abundant in regione nostra, ad talia venit commercia. Quid hic dedit pro iis, quæ hic accepit? dedit exhortationem, dedit doctrinam, dedit peccatorum remissionem. Attulit nobis de illa regione multa bona, & in nostra regione pertulit multa mala. Tanta præcessit dilectio, vt nobiscum esset, vbi eramus? vbi etiam ipse est, cum ipso erimus. Vbi ego sum ( inquit ipse ) illic & minister meus erit. Quid tibi Deus promittit, ô homo? quia certè in æternum victurus es cum eo, & id non credis? Crede, crede; plus est iam, quod fecit, quam quod promisit: incredibilius est, quòd mortuus sit æternus, quàm quòd mortalis homo in æternum sit victurus. Victurus es cum eo in æternum, propter quem mortuus est, qui viuit in æternum: securus esto te accepturum vitam ipsius, qui pignus habes mortem ipsius. Vnde Paulus, Si cùm inimici essemus, reconciliari sumus Deo per mortem Filii eius: multò magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Grauius est pro peccato mori, quàm peccatum tollere, & iam cooperantem saluare. Ad mansionum cælestium reparationem, non ad æternam damnationem te & creauit & redemit Dominus: quòd si damnationem tuam voluisset, quando peccasti, te in infernum detrusisset.

Hinc colligere potes eum magis gaudere de tua reparatione, quàm de tua damnatione, quòd ipsi & Angelis eius maius est gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indi-  
gent



gent pœnitentiâ. Quod ipsemet Dominus tri-  
 plici exemplo comprobavit: scilicet ouis per-  
 ditâ, quam inuentam pastor gaudens ad oui-  
 le super humeros reportauit: & drachmæ per-  
 ditâ, qua inuenta mulier vicinas suas ad con-  
 gratulationem conuocauit: & filii prodigi, cui  
 ad patrem redeunti vitulus saginatus occisus est:  
 quod fratri qui semper cum patre remanserat,  
 factum non est. Quantò magis contristat res  
 perdita, tantò magis lætificat, si fuerit inuenta:  
 vnde & de peccatore conuerso, quàm de stan-  
 te iusto, maius gaudium est in cælo: Deo ete-  
 nim gratior est amore ardens pœnitentia post  
 culpam, quam securitate torpescens innocentia  
 per gratiam. Sicuti & dux in prælio plus eum  
 militem diligit, qui post fugam reuersus for-  
 titer hostem premit, quàm illum, qui nunquam  
 transfugit, & nunquam aliquid fortiter gessit.  
 Agricola etiam plus amat illam terram, quæ  
 post spinas vberem profert messem, quàm illam,  
 quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fer-  
 tilem messem protulit. Si Deo & Angelis eius  
 hic tanto sunt gaudio tuæ lachrymæ, quanto,  
 putas, gaudio eis illic futuræ sint tuæ deliciae?  
 hos cibos epulantur, iisque fructibus delectan-  
 tur: si peccatum tuum mortifices per contri-  
 tionem, obliteres per confessionem, sepelias ab-  
 olefaciasque per satisfactionem.

Itaque, frater charissime, etiam si te con-  
 demnatum putares per Dei iustitiam, ad eius  
 appella misericordiam: fit enim interdum, vt  
 quem iustitia accusat, misericordia absoluat:  
 & pœnam, quam Dominus iustè exigere posset,

Triplici  
 exemplo  
 Dominus  
 comprobat  
 se gaudere  
 super pœ-  
 nitentibus:  
 Ouis.  
 Drachmæ.  
 Filii pro-  
 digi.

Similitudo  
 optima.  
 Transfuge  
 strenuus.

Novalis  
 fertilis.

Nota.  
 Desperan-  
 dum nun-  
 quam est.



Nota sen-  
tentiam.

miseri corditer condonet. Quamdiu viuis, liberi est arbitrii tui pœnitere, & sic ad vitam resurgere gloriosam: aut in peccatis tuis permanere, & sic in æternam corruere damnationem. Sed quia Deus, quos gratis & creauit, & redemit, eos libenter non opprimit: ideo si te pœniteat tuæ culpæ, eum quoque suæ pœnitebit sententiæ: immutabilis Dominus suam mutabit sententiam, si tu mutaueris tuam vitam. Sic vinces inuincibilem, ligabis omnipotentem, & tremendum iudicem conuer-tes in piissimum patrem.

QVOD ETIAM IN ARTICVLO  
MORTIS POENITENTIA ESSE  
POTEST SALVTARIS.

CAP. VI.

**A**T dixeris, Tardè veni, totam vitam meam in peccatis consumpsi: morti proximus sum, in nouissimo die pœnitere non possum: nec Deo pro peccatis meis satisfacere, & condignam pœnitentiam agere. R. Iuuenis homo es, & bonæ valetudinis, frater charissime, multos adhuc annos viuere potes, & in iis Deo acceptam pœnitentiam agere. Tamen quia nemo est quantumlibet iuuenis, qui vsque ad vesperum, certo sibi polliceri audeat se victurum: potestque subitus mortis casus qualibet diei hora te opprimere, quo tempore desperans hæc mihi posses obicere: idcirco huic obiectioni satisfaciendum duxi, tametsi eam mihi nunquam obiecisti.

Dum



Dum viuis, dum adhuc spiras, frater charissime: etiam in ipso lecto positus, & in articulo mortis constitutus pœnitere potes, & maximè potes: adhuc spes est misericordiæ, tempus veniæ, & locus pœnitentiæ. Ipsemet Deus de se testatur: quòd quacunque hora ingemueris, omnium iniquitatum tuarum non recordabitur. Qui quacunque hora dixit, etiam mortis hora non exclusit: qui omnium iniquitatum se non recordaturum promisit, nullum peccati genus excepit. Etsi per temporis breuitatem non vacat confiteri, tamen in momento & nictu oculi de omnibus peccatis vacat conteri: vno solo impetu contritio illa momentanea omnia præteritæ vitæ exterminat peccata, quantumcunque graua & multa destruantur: ob syncerum confitendi affectum, Deus remittit peccatum: voluntas reputatur pro opere, & confessio tunc auditur in corde. Si igitur in mortis articulo per pœnitentiam desineres esse malus, ideo desperare non deberes, quia in vltimo vitæ termino esses positus. Deus etenim, qui vniuersorum finem considerat, vnumquemque de suo fine, non de vita præterita iudicat: nec tam respicit, quales antè fuimus, quam circa finem, vitæ, quales sumus. Nihil refert quamdiu, sed quàm bene quis vixerit: nec criminis quantitas aut vitæ enormitas, nec temporis breuitas, aut horæ extremitas excludit à veniâ, si sincera & integra sit in fine pœnitentia. In qualibet breui hora potes peccatorum tuorum veniam, & multorum meritorum gratiam, & San-

Nota de pœnitente tardè.  
Pœnitentia semper salutaris.

Ezech. 33.  
Quacunque hora pœnitere quid sit

Contritionis efficaciam.

Exitus acta probat.

Pœnitentia momentanea.



ctorum obtinere gloriam. Non enim numerositas bonorum operum, nec diuturnitas temporum, sed maior meliorque voluntas auget meritum; magna & multa Dei misericordia temporis non coarctatur angustiâ. Qui veram pœnitentiam egerit, & à peccati vinculo, quo astrictus erat, solutus fuerit; & bene post pœnitentiam vixerit, sicut ante pœnitentiam vivere debuit; quodcumque fuerit defunctus, ad Deum vadit securus: regno Dei non priuabitur, à populo Dei non separabitur. Sicut enim denarius diurnus redditur & iis, qui à primo manè in vinea Domini laborantes pondus diei & æstus portauerunt, & iis etiam, qui circa vndecimam, seu vltimam diei horam in eandem Domini vineam venerunt: ita & non solum ab adolescentia sua iugum Domini portantibus, æterna merces promittitur: sed etiam nouissimis in fine dierum suorum pœnitentibus vitæ æternæ denarius tribuitur.

Magna Dei  
misericor  
dia, tempo  
ris non co  
arctatur an  
gustia.  
Notandum.

Simile à de  
nario diur  
no.  
Matth. 20.

Niniuitæ.  
Publicanus.  
Magdalena.

Dylmas la  
el 0.

Innumeras Niniuitarum culpas breuis pœnitentia detersit, & Publicanus repente de templo iustificatus exiit. Maria Magdalena tam peccatrix erat, & plena sceleribus, vt eam dedignaretur videre Phariseus: tamen paruo temporis spatio est iustificata, & ab omnis peccati inquinamento purgata. Latro in cruce pendebat, & iam iam moriturus, salutem suam etiam renitente socio non desperabat: Dominum confessus in cruce, penè cum ipsa confessionis voce spiritum exhalauit vitæ: & tamen ad paradisi gaudia priùs eum Dominus perduxit quàm Petrum: & ne quis aliquando seram



Seram pœnitentiam putaret, fecit homicidii pœnam martyrium. Sera quidem fuit eius pœnitentia, sed sera non fuit indulgentia: citò ad Deum conuersus est, citò etiam ei ignotum est, hi ostendunt tibi fructum pœnitentiæ, fontem misericordiæ, & celeritatem indulgentiæ, tardiùs enim pœnitere & benefacere cœperunt, & tamen feruentius agendo primi facti sunt: & eos meritis præcelluerunt, qui citiùs inchoantes negligenter egerunt. Possibile etiam tibi est, sicut & iis, primos pertransire, & in regno cælorum præcedere.

Etiam si in vltima ætate adhibeas pœnitentiam, potes de peccatis tuis promereri indulgentiam: quamlibet breuis & momentanea fuerit conuersio, infructuosa & inutilis non erit tibi conuerso. Sed sicut is qui calicem aquæ frigidæ porrexit, nequaquam mercedis fructum amisit: ita & licet minus digna videatur ad peccatorum pondus pœnitentia, tamen quantuluscunque ille nutus pœnitendi, conuersionisque momentum, expers non erit remunerationis bonorum. Temporis quamlibet breuis Deus suscipiet pœnitentiam, nec patietur quamlibet breuis conuersionis perire mercedem.

Nemo potest Deo satisfacere, quantum eius altitudo deposcit, & secundùm peccata, quæ in eum commisit. Maiori luctu digna sunt peccata mortalia, etiam quùm à dignè pœnitentibus lugeantur: infinita enim Dei offensa, infinitam reconciliationem meretur. Tamen quia finita humani ingenii capacitas infiniti non est capax: ideo nostris succumbentibus meritis, non sufficiente nostra iustitia,

Pœnitentia etiam in morte fructuosa.

Math. 10.

Satisfactio condigna homini impossibilis.

Christus pro nobis satisfecit.

Christi passio, non suff-



ficente no-  
stra iustitia  
nostris suc-  
cumbenti-  
bus meritis  
succurrit.

1. Ioan. 2.

Medicus  
dans dono  
medicinas.  
Simile o-  
pus à Medi-  
co benigno.

Deus dat,  
vnde place-  
tur.

Vir non pro  
dignitate  
honoratus,

Christi passio succurrit, ea omnium peccatis abundè satisfecit. Deus pro peccatis nostris nullum aliud exposcit pretium, nisi vnigeniti sui sanguinem pretiosum: nihil est tam ad mortem, quod non remittat per filii sui mortem.

Christus ipse est propitiatio, pro peccatis nostris, nec solùm pro nostris, sed totius mundi. Veluti enim si pauperculus quispiam graui morbo doleat, ad quem ingressus Medicus dicat: plures species ad confectionem medicaminis esse necessarias, ægrotus verò respondeat, se ob paupertatem non posse emere tantas, dicat autem ad eum Medicus: illam & illam speciem dare mihi potes, cætera autem de meo exhibebo. Ita & misericors Dominus (qui animæ tuæ summopere salutem desiderat) tantùm à te exigit contritionem cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis: parum quidem ad peccata tua, sed quod habes: quæ etiam sine eius gratia, & te præueniente & tibi cooperante præstare non posses: cætera autem pro sua misericordia condonat, & facilè placatus peccati culpam & pœnam relaxat. Donat, vnde sibi sacrificetur, ipse tribuit, vnde placetur: pro mira sua erga nos misericordia hoc tantum requirit à nobis, & nos in amicos paratus est recipere, si faciamus, quod est in nobis.

Velut est vir dignitatis eminentis, quem si, vt dignus est, honorares, totam tuam substantiam in eo honorando expenderes, nec tamen eius dignitatem honore æquares: non tamen in eum peccas, quòd totum illud non facis; dum eum minùs honoras, quàm pro ra-  
tione



tione dignitatis: imò verò absolutus es, si eum honoras, vt debes. Ita & Dominus Deus noster, quia est infinitè bonus, infinita dilectione & reconciliatione est dignus: tamen nostram ex toto corde suscipit sui dilectionem, & contriti cordis qualemcunque non respuit pœnitentiam: quòd nisi infirmitatis nostræ rationem haberet, nunquam ei etiam de peccato veniali satisfieri posset. Ipse autem (inquit Psalmista) est misericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non disperdet eos, & abundauit, vt auerteret iram suam, & non accendit omnem iram suam, & recordatus est, quia caro sunt. Vbi autem misericordia fit, iudicium non sœuit, vbi misericordia conceditur, pœna condonatur.

Deus non agit nobiscum summo iure

Psalm. 77.

Itaque, frater charissime, etiam si esses constitutus in articulo mortis, tibi præscindere non deberes spem salutis: quamdiu in hac luce es superstes, de omnibus peccatis tuis verè pœnitere potes, tunc duntaxat, cum ab hoc sæculo fueris abductus, ab irreuocabili sententia Dei fueris condemnatus, pœnitentiæ tuæ nimis seræ nullus inerit fructus. Valde tepènitebit in inferno, sed ibi pœnitentiæ medicamenta tibi non proderunt, quia in inferno nulla est redemptio.



QVOD



QVOD, QVAM DIV SVMVS IN  
HAC VITA, SECVRI ESSE NON  
DEBEMVS DE  
VENIA,

CAP. VII.

**A**T dixeris, Quomodo fiet istud? Ulceribus plenus sum, & innumeris peccatis obnoxius; quo modo poterò nosse aut securus esse, quòd qualemcunque veniam habeo, & peccata mea mihi dimissa sunt à Deo? R. Ineffabilis est, frater charissime, Dei misericordia, quæ etiam est super omnia eius opera; sine fine est, comprehendi non potest; superat omnem sensum, omnem animi cogitatum. Si potes mihi dicere, qualis est Deus, nosse etiam poteris, qualiter miseretur hominibus. Nam & ego interrogabo te, quo modo latro ille saluatus est, qui omnem vitam suam cruentam habuit homicidiis, persecutiõibus, & direptionibus? ab hominibus pro suo scelere condemnatur, à Deo autem pro sua confessione coronatur, & paradisi colonus efficitur? Interrogabo etiam te, quo modo homicidæ, adulteri, fures, cæteri que carceris claustra habitantes, mille obruti accusationibus, & iam paratis carnificibus ad solum Regis nutum dimituntur? si hoc solo nutu facit homo moriturus, quantò magis Deus Angelorum Dominus? Dum liberari vis à corporali ægritudine, non interrogas rationem medicinæ; stat Medicus secans, & innumeras curationes adhibens, & non interrogas, quomodo curaris? seruo concedis, & Domino misericordiæ non concedis?

Misericordia Dei incomprehensibilis.



dis? Noli interrogare miserendi modum, sed magis admirare & glorifica misericordem Dominum. Confide misericordi, & eius experieris misericordiam: qui diffidit Medico, sibi obstat, quò minus recipiat sanitatem.

Tenet fides Catholica & orthodoxa, quòd Christus septem instituit sacramenta, quæ in merito suæ passionis, inuisibiliter peccatorum operantur remissionem; & sub signo visibili, gratiam conferunt inuisibilem. Quòd sitanti mysterii experientiam habere vis, alioqui peccatorum remissionem non credis; iam firmiter credo, quòd non es Christianus verus: quia qui in vno Symboli articulo delinquis, factus es omnium reus. Fides, est credere, quod non vides: quæ autem videntur, fidem non habent, sed agnitionem, nec fides habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Per decimum illum Symboli articulum, nobis omnibus proponitur credendum, peccata quantumcunque graua & multa, remitti per Ecclesiæ Sacramenta, quæ si dignè receperis, & quòd in te est, feceris, haud dubiè remissionem peccatorum consequeris. Quam te esse consequutum tunc demum credere potes, quando fecisti, quod in te est, quia facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam, sed ex vltore factus opitulator humanam adiuuat infirmitatem. Quòd dimissa tibi sint peccata tua, aliter scire nequimus, aliam securitatem tibi dare non possumus: quis enim scit, odio, an amore dignus sit? interim spei fiducia nos consolatur, ne hac anxietate penitus cruciemur.

Remissionem peccatorum credimus.

Fides quid?

Eccles. 99

Visno



Paulus  
pavidus,

1. Cor. 9.

Dubitare  
de venia  
vtile.

Dubii de sa-  
lute fortius  
agunt pœni-  
tentiam.  
Prouerb. 28.  
Psal. 2.

Psal. 85.

Visne, vt Deus iterum nascatur, aut de summo cælo egrediatur, vt eius ore audias sicut & Maria Magdalena, Dimittuntur tibi peccata tua? Deum tentare videris, qui ab eo miracula requiris. Paulus Apostolus iam ad tertium cælum raptus fuerat, arcana verba, quæ non licet homini fari, illic audierat, & tamen trepidans adhuc dicebat, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiat. Nondum erat securus, qui iam in tertium cælum fuerat raptus, & tu securus esse vis, qui adhuc in terra conuersaris?

Quoniam negligentia mater esse solet securitas, ideo semper trepidâ mente debes metuere culpas, non debemus securi esse de gratia, & quòd dimissa nobis sint peccata nostra. Dubii enim de salute fortius agunt pœnitentiam, & Deum magis prouocant ad misericordiam. Vnde scriptum est, Beatus vir, qui semper est pavidus. Et rursus alio loco, Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Solet etenim quibusdam contingere: vt dum se purgatos ab omni peccato putant, ab internæ mentis custodia animum resoluant: qui quidem ipsa sua elatione depressi eò deterius corruunt, quò magis de indulgentia blandientes vanæ spei securitatem sibi promittunt. Hinc orat Psalmista, Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum; non dicit, Lætetur, vt securum sit, sed, lætetur, vt timeat: ac si apertè diceret, ita me correctum facito gaudere de venia, vt tamen nunquam desinam esse suspectus de culpa.

Vides,



Vides, frater charissime, quòd quàm diu es in hac vita, pius pater non vult te securum esse de venia, non vult te scire, quantum proficias, ne inde superbiens in bono opere torpescas. Donec de hoc sæculo fueris egressus, semper suspectus esse debes & trepidus, vt ad cæli gaudia securus transmigres, & per securitatis gaudium illic sine fine exultes.

## DE GAUDIIS PARADISI.

## CAP. VIII.

**S**ed quia spes (quæ est desperationi contraria) est certa expectatio futuræ beatitudinis, proueniens ex Dei gratia & meritis nostris: & hac virtute cares, frater charissime, sine qua non potes saluus esse: ideo superest, vt aliquam salutis spem tibi faciam, & ad illa cæli gaudia animum tuum erigam: vt si ad Deum non conuerteris pœnæ formidine, saltem id facias tanti præmii expectatione.

Spes quid.

Deus bonus & superbbonus, sola sua bonitate, non necessitate, beatitudinis suæ, qua æternaliter in se beatus est, alios voluit esse participes: quam vidit & aliis posse communicari, & in nullo posse diminui. Creauit igitur in mundi primordio cælum illud decimum, immobile & claritatis perfectæ: dictum empyreum ab igneæ lucis fulgore & splendore, non ab ignis ardore aut calore. Quod eodem temporis momento vt est creatum, nouem angelorum ordinibus est repletum: non repletionis occupationis, sed repletionis numeri sufficienti

Paradisi creatio.

Empyreum cælum.

Angelis cælum repletum.

cienti



Pulchritudo  
paradisi

Lux para-  
disi.

Amplitudo  
Paradisi.  
Baruch 3.

Malâ ibi  
nulla.

cienti & apto numero incolitur ab habitatoribus. Et sicut domus pulchritudo facit ad habitatorum solatium, ita etiam gloria & diuitiæ paradisi faciunt ad beatorum gaudium. Si terrarum & firmamenti tantus est ornatus, necesse est, vt paradisi decor sit multò maximus: quoniam Deus eum creauit pro amicis suis, maiorem ei pulchritudinem indidit, quàm rebus cæteris. Iugis ibi est lux & splendor, non ista, quæ hic est, sed tantò clarior, quantò Sol est lucernâ splendidior. Ibi non est Sol ad lucendum per diem, sed Sol iustitiæ in sempiternam lucem. Plenum prorsus omni dulcedinè, dulce lumen, oculis delectabile: videre iustitiæ Solem, Deum & hominem hominis conditorem.

Quoniam damnatis opus est carere angusto, Regibus autem magno palatio, ideo magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius: magnus est, & non habet finem excelsus & immensus. Regnum Dei est maius omni fama, & omni laude melius: innumerabilius omni scientia, & omni gloria excellentius. Ibi deest omne malum, & adest omne bonum: ibi nihil, quod amatur, deest, sed quicquid desideratur, adest. Faciliùs possum dicere, quid ibi non sit, quàm quid ibi sit. Nulla ibi est mors, nullus morbus, nulla lassitudo, & nullus luctus: nulla ibi est fames, nulla indigentia, nullus aduersarius, & nulla peccati illecebra. Ibi vita est sine morte, & requies sine labore: summum gaudium sine tristitia, & summa charitas sine discordia: sine cura securitas, & sine deformitate formositas. Quàm felix



felix illa ciuitas, in qua iugis solennitas: & quam iucunda curia, quæ curæ prorsus nescia. Nec labor hic, nec senium, nec fraus, nec terror hostium, sed vna vox lætantium, & vnus ardor cordium, quia absterget Deus Apos. 219 omnem lachrymam ab oculis eorum. Ibi æterna salus abundat, & veritas regnat: ibi nec fallit quisquam, nec fallitur: inde nullus beatus eiicitur, & nullus miser admittitur. Ibi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, iucunda felicitas, & felix æternitas in vita illa beatè sempiterna, & sempiternè beata.

**I**bi præmium essenziale (quod est de beatitudinis essentia, & sine quo anima non est verè beata) consistit in clara Dei visione. Et hoc fidei præmium est, quia quæ hic creduntur per fidem, illic videntur per speciem. Virumque autem interioris hominis munus est, quia Deus, qui in via per speculum in ænigmate à nobis spiritu cognoscitur, in patria facie ad faciem non corporeis oculis, sed spiritu videtur: sicut & Prophetæ, vbi corpore aberant, spiritu multa fieri viderunt: & per somnia sopitis exterioribus sensibus, dormientes multa spiritu cognoscunt. Et sicut in speculo solam rei imaginem, idque imperfectè videmus: ita & dum inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, quasi per imaginem hic cognoscimus, quasi per speculum ænigmaticè & obscure in Dei cognitionem deuenimus: ibi autem instat vultibus aduersis seinuicem aspicientium, facie ad faciem clare

Visio Dei  
prima dos  
animæ,

Speculum  
in ænigmate.

Q

clare



Deus non videtur totaliter. Deus ab omnibus non videtur æqualiter.

clarè & nudè videbimus Deum: vnum quidem in substantia, trinum vero in personarum differentia. Quotquot ibi erimus, totam Dei essentiam simul videbimus: sed quia propter suam infinitatem nequit comprehendi totaliter, ideo ab omnibus non videbitur æqualiter, sed limpidiùs ab vno quàm ab altero spirituali visione videbitur, secundùm quod vnusquisque magis minùsue lumine gloriæ irradiabitur.

Simile.  
Lumen gloriæ.

Deus videtur clarius ab vno quàm ab alio.  
Simile.

Sicut enim sol materialis (qui æqualiter sese repræsentat omnium oculis) non videtur sine emissionem luminis, vel radii sui in oculum hominis, tamen non omnes æqualiter vident & aspiciunt in illum, sed diuersimodè, secundùm quòd oculus magis minùsue est dispositus ad videndum: ita & humanæ mentis acies inualida in tam excellenti lumine Dei non figitur, nisi à Deo per creatum infusumque gloriæ lumen fortificetur: sicut scriptum est, In lumine tuo videbimus lumen. Lumen diuinæ substantiæ, videtur in lumine gloriæ, quo naturale lumen intellectus, spiritualisque oculus plus minùsue eleuatur ad cognoscendum Deum, secundùm maiorem minorémue charitatem, quâ fertur in eum. Dei igitur species clariùs ab vno quàm ab altero videbitur, sicut eadem res de longè meliùs ab vno quàm ab altero discernitur, & eadem scriptura à diuersis legentibus diuersimodè intelligitur: quæ diuersitas non prouenit ex parte rei aut scripturæ, sed ex parte videntium & legentium dignoscitur prouenire.

Et



Et quia Deus vbique est præfens per es-  
 sentiam, ideo ibi non videbitur per distantiam: Deus non  
videtur per  
distantiam.  
 sed vbicunq̄ue erit anima, ibidem Deum vide-  
 bit per præfentiam. Deum videbit in fe, & fe  
 in Deo: Deum in aliis, & alios in Deo. Mo- Deificatio  
animæ.  
 do quodam ineffabili à femetipfa deficiet &  
 abibit, totaque in Dei fimilitudinem & trans-  
 formationem transibit. Alioqui quo modo  
 Deus omnibus erit, fi in homine aliquid de  
 homine supererit? Manebit hominis substan-  
 tia, sed in alia forma aliaq̄ue gloria. Sicut 1. Cor. 15.  
Similla.  
Gutta aquæ.  
 enim modica aquæ gutta multo vino infusa, à  
 fe tota deficit, viniq̄ue saporem & colorem in-  
 duit. Ferrum candens pristina propriâque Ferrum  
ignitum.  
 forma exuitur, & igni fimillimum efficitur:  
 Solis radio aër perfusus in eandem transfor-  
 matur luminis claritatem: adeo vt non tam Aër sole ir-  
radiatus.  
 illuminatus videatur, quàm ipsum lumen: Et  
 speculum radiis solaribus directè irradiatum,  
 solis in fe recipit fimilitudinem, idq̄ue putares  
 alterum esse solem. Ita etiam beati Dei cla- Speculum  
sole irra-  
diatum.  
 ritate in intimis suis totaliter penetrantur  
 sicq̄ue deiformes effecti in Dei fimilitudinem  
 transformantur. Sic affici est deificari, sicut  
 scriptum est, Ego dixi, dii estis: scilicet per par- Pfalm. 81.  
 ticipationem, quia vnicus est Deus per essen-  
 tiam: Vos ab eo deificati, ille vos deificans.  
 Iterum alio loco, Cum apparuerit, fimiles ei 1. Ioan. 3.  
 erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Item  
 alibi, Vt per hoc efficiamini diuinæ confortes 2. Petr. 2.  
 naturæ.

Et sicut videndo speculum, homo videt In Deo bea-  
ti se vident,  
 seipsum, & multa alia ibidem præfentia: ita &



beatus videndo Deum, simul & semel vnica  
 visione videt seipsum: & omnia ad beatitudinis  
 integritatem sibi necessaria. Videt bona ope-  
 ra, qua hic peregit, de quorum singulis sin-  
 gula gaudia concipit, nullum bonum manet  
 irremuneratum, sed suum vnique merito  
 reseruatum est primum. Dimissa sibi pec-  
 cata sua videt, non ad suam confusionem, sed  
 ad glorificandum magnam Dei misericordiam,  
 per quam dum se à tanta miseria liberatum  
 semper exultat, eam semper magnificat & ex-  
 altat. Vnde enim Deo gratias agere deberet,  
 nisi, vnde id faceret, in memoria haberet; Si  
 ibi tanta est consolatio de remissis peccatis,  
 quantum putas est gaudium de operibus bonis?  
 Cum singulorum conscientia singulis pateant,  
 tamen non magis eum pudet suorum scelerum,  
 quàm hominem pudet sanatorum vulnerum:  
 nec magis quàm grandæuus erubescit, de iis  
 quæ adhuc infans in cunis egit: sicut nec Pe-  
 tro confusioni est negatio trina, nec Magdale-  
 næ & aliis multis dimissa sibi peccata. Et li-  
 cèt beatis sua gaudia abundè sufficiant, tamen  
 vt de sua liberatione vberiores gratias Deo a-  
 gant, ad videndum reproborum pœnas non  
 loco, sed intelligentia, & in Deo visione ma-  
 nifesta, egrediuntur, nec tamen iis vlllo modo  
 compatiuntur. Sic quippe eorum mentes æ-  
 quissimo iudici inhaerent, vt omnino eis non  
 libeat, quicquid à Dei voluntate discordat: quia  
 vident Deum simpliciter velle reproborum da-  
 mnationem, idè lætantur iusti, cum Dei vident  
 vindictam & iustitiam.

Quòd

Bona opera.

Peccata.

Conscientia  
 singulorum  
 singulis pa-  
 rent.  
 Veracundia  
 nulla de  
 peccatis.  
 Simile.

Inferni  
 visio.  
 Ab ipsis  
 beatis.



Quòd si Prophetæ, dum adhuc mortales essent, multa præterita, præsentia, & futura potuerunt cognoscere: quantò magis Deus, qui liberum & voluntarium est speculum, quæ, quibus & quando vult, potest representare: vnde plus sciunt etiam vetulæ in illa gloria, quam omnes Philosophi scire potuerunt in hac vita. Ibi cognoscunt quo modo pater filium sibi coæqualem genuit, & quòd ab utroque utriusque coequalis Spiritus sanctus processit, & quòd pater nec filium nec Spiritum sanctum tempore, sed origine præcessit. Quid ibi nesciunt, qui scientem omnia sciunt? aut quid non vident, qui videntem omnia vident? Semper libet eis Deum aspicere, semper habere, semper possidere, semper puro mentis intuitu videre gloriæ illius decorem, & regiæ potestatis honorem. Mirantur & deficiunt in illum, quem prospiciunt: fruuntur nec fastidiunt, quo frui magis sitiunt. Tantò à possidentibus magis desideratur, quantò à desiderantibus magis possidetur. Ex abundantissima plenitudine summi boni satiantur, & ex continuato desiderio fruitionis non satiantur, satietas simul est & esuries, illa indigentiam tollit, hæc fastidium excludit. Mille anni in fruitione Dei, tanquam dies hesternæ, quæ præterit.

In Deo beati multa cognoscunt.

Trinitatis cognitio.

Deus incessanter videtur.

**D**eus tam delectabilis est ad videndum, tam suavis ad habendum, & tam dulcis ad fruendum, ut continua eius visio nullum eis fastidium pariat, imò etiam quòd de ea in æternum securi sint ad eorum beatitudinem accedere:

Secura fruitio, secundus.



Deus finis  
desiderio-  
rum.

Securitas  
beatorum.

cedat: Beatifica Dei fruitio sine fine, conti-  
nua delectatio sine interruptione, æterna pos-  
sessio sine amissione, & secunda tentio sine du-  
bitatione spei succedunt: quia beati eo fruun-  
tur, quo aliquando frui sperarunt. Tunc de-  
mum satiantur eorum desideria, dum eis ap-  
paret Dei gloria. Deus, qui finis est omnium  
desideriorum, solus satiare potest corda eorum:  
extra eum nihil queritur, quia in eo est, quic-  
quid desideratur. Facti socii Angelorum, &  
participes regni celorum, cum Christo Rege  
regnant, & nihil concupiscendo omnia possi-  
dent: sine auaritia diuites, & sine pecunia lo-  
cupletes. Si dulciores sunt in hac vita lachry-  
mæ penitentium, quàm omnes deliciae diui-  
tum: si etiam hic tam iucundum est pro eo  
fieri, quàm putas iucundum erit cum eo gau-  
dere: Si celestium gaudiorum tenuis quædam  
de gustatio hic est adeò delectabilis, quantum  
putas beati illic habeant sinceræ delectationis,  
dum pleno ore gustant & vident, quàm sua-  
uis est Dominus? Tantam summi boni frui-  
tionem amittere non formidant, alioqui verè  
beati non essent: æternæ illius ciuitatis æterna  
sunt gaudia, vbi securi sunt de immarcessibili  
sua gloria: quæ nec variabitur, nec labetur,  
quia incommutabili pace potentur. Nullus  
enim fortior superueniet, qui eos inuitos inde  
eiiciet, nec Deus qui est summum bonum, iis  
volet subtrahere seipsum: vt pote qui amoris  
vinculo indissolubili eos amet plusquàm ii se-  
ipsum, & ii Deum plusquàm seipsum.

Et



**E**T sicut aliud est aliquid videre, aliud possidere, aliud diligere: quia multa videmus, quæ non possidemus, & multa possidemus quæ non diligimus: ita etiam tres sunt dotes distinctæ, tria præmia & tres gloriæ: clara Dei visio, quæ succedit fidei: secura fruitio, quæ succedit spei: & perfecta eius charitas, quæ nunquam excidit, quia etiam in cælo persistit. Fidei & spei iam res ipsa, non quæ credatur & speretur, sed quæ videatur teneturque succedit. Charitas autem (quæ illis maior est) contemplata, quod credebat, & adeptæ, quod sperabat, non euacuatur, sed perficitur & augetur. Si credendo & sperando id ad eò diligimus, quod nondum videmus, & quò nondum peruenimus: quantò magis id diligemus, dum videbimus & eò peruenimus? in illa charitatis plenitudine, præceptum illud de diligendo Deo ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, adimplebitur: dum totus homo concupiscentiis carnalibus sicuti & nunc nullo modo præpeditus, totaliter & incessanter in Deum feretur: dum ineffabili quadam suavitate beati diligent Deum plusquam seipsos, & se inuicem tanquam seipsos.

Charitas  
Dei, tertias  
dos.

Charitas  
nunquam  
excidit.  
1. Cor. 13.

Præceptum  
de diligendo  
Deo.

Voluntas  
omnibus  
eadem.

Omnes vna erit voluntas, quia ibi nulla erit nisi Dei voluntas: sicut non aliud volent quàm Deus volet, ita & quicquid nolent, Deus nolet: & sicut Deus potest, quicquid vult, per seipsum, ita & quicquid volent, poterunt per Deum. Vna Ecclesia, vna Christi sponsa, & vnum corpus sunt, quotquot ibi sunt. Quo modo autem caput à corpore, aut corpus dis-



Oculorum  
concordia.

Premiorum  
diuersitas.

1. Cor. 15.

crepabit à capite? sicut oculus vnus verti non potest, quò & alius non vertatur: ita & quicquid vnus voluerit, eò aliorum omnium voluntas conuertetur. Sicut etiam oculus non vellet esse manus, nec manus vellet esse oculus: ita etiam licet distent ab inuicem differentibus meritis, tamen singulis sua præmia sufficientia sunt, & iam perfecti amplius suis præmiis capere non possunt: vnusquisque beati capacitas est completa, nec quid vltra desiderat, intelligens se non vltra meruisse, imò etiam se vltra meritum accepisse. Alia est claritas solis, id est, Dei, qui est sol iustitiæ: alia claritas lunæ, id est, Mariæ virginis: alia claritas stellarum, id est, omnium beatorum tam Angelorum quàm hominum. Stella enim à stella, id est, electus ab electo differt claritate animæ & corporis: sicut stellæ diuersæ sunt claritatis in firmamento, ita & beati diuersas mansiones sortiuntur in regno. In domo patris nostri multæ sunt mansiones, id est, multæ præmiorum differentiæ & variæ dignitates. Sicut enim reprobis differenter puniuntur in inferis, ita electi differenter præmiantur in cælis. Aliqui Dei speciem clariùs contemplantur, in ipsa contemplatione delectabiliùs ea fruuntur: & in ipsa fruitione in eius amorem ardentius accenduntur quàm alii, secundum quòd plura aut maiora bona opera peregerunt quàm ipsi.

Inuidia ibi  
nulla.

Nec tamen inferior inuidet superiori, sicut nec Archangelis inuidet Angeli, non est inuidia imparis claritatis, in quibus regnat vnitas charitatis. Quoniam singuli alios omnes si-

cut



cut seipfos diligunt: ideò bona singulorum, per  
 charitatem fiunt omnium, & vnusquisque  
 quod in se non habet, id se in alio accepisse  
 gaudet. Quantum igitur, putas, erit gaudium, Gaudium  
 beatitudinis  
 alienæ.  
 in illa perfecta charitate innumerabilium An-  
 gelorum & hominum? quia nemo minùs  
 alium quam seipsum amabit, non aliter pro sin-  
 gulis alijs quàm pro seipso gaudebit. Et cer-  
 tè si aliquis alius, quem omnino sicut teipsum  
 diligeres: idem sicut & tu haberet beatitudi-  
 nis præmium, duplicaretur gaudium tuum,  
 quia non minùs pro eo quam pro teipso gau-  
 deres. Si verò duo, tres, aut plures idipsum  
 haberent, quo modo putas cor tuum, quòd de  
 tanto suo bono vix caperet gaudium suum, ca-  
 pax esset tot tantorumque gaudiorum? Quot  
 igitur & quanta gaudia quisque beatus habet,  
 qui de Dei gloria plusquam de sua gaudet? &  
 de singulis, quos non minùs quàm seipsum amat,  
 non minùs quàm de sua gloria exultat? quòd  
 si creaturæ capacitas caperet infinitum, sin-  
 gulorum profectò infinitum esset gaudium:  
 immensum tamen est, ineffabile & incompre-  
 hensibile, secundùm capacitatem vnus cuiusque  
 animæ. Gaudet supra se de fruitione Dei, in-  
 fra se de euasione inferni, intra se de sua glo-  
 rificatione & beatitudine. Quorum multitu-  
 do hæreditatem illam, in qua cohæredes sunt,  
 non minuit, nec in vlllo angustiorem reddit:  
 tanta est multis, quanta paucis: tanta singu-  
 lis, quanta omnibus, quia omnibus vna est, in  
 tota singulis: imò etiam tanto largior, quan-  
 tò cohæredum multitudo est numerosior.

Cælestem  
 hæreditatem  
 cohæredes  
 non angu-  
 stant.

Qs

Ibi



Christi glo-  
ria.

Mariæ Vir-  
ginis gloria.

Angelorum  
Ordines.

Apostoli.

Ibi Christus Dominus & Deus noster, secundum Deitatem, qua Deus est, sedet ad Dei patris dexteram, id est, in gloria coæquali, in maiestate non dispari, in essentia consubstantiali, & in æternitate non posteriori. Secundum verò creatam humanitatem, id est, corpus & animam suam, etiam sedet ad Dei Patris dexteram, id est, in maxima post Deum gloria & beatitudine, in qua post Deum pulchrius, & iucundius est eum videre. Ibi beatissima Virgo Maria, in corpore & anima super omnes Angelorum choros sublimata, post filium suum in gloria est gloriosissima. Ibi beatorum spirituum alii superiores, alii inferiores per Dei sapientiam sunt constituti, & sub tribus Hierarchiis in nouem ordines distincti: non locorum differentiâ, sed virtutum & gratiarum distantia. Nam quos Deus creauit substantia magis subtiles & spirituales, intellectu magis perspicaces, & voluntatis facultate magis liberos & habiles, sicut aliis superiores creati sunt donis naturæ, ita & in gratia confirmati aliis superiores effecti sunt donis gratiæ. Quæ omnia inæqualiter insunt omnibus, quia superiores Ordines ea possident aliis excellentius: quibus respectu aliorum donorum perfectius sunt præditi, ab iis sunt Ordines denominati: Seraphim, Cherubin & Throni, Dominationes, Principatus & Potestates, Virtutes, Archangeli & Angeli: sed in vno Ordine non omnes sunt æquales, sicut & in Ordine Apostolorum & Martyrum alii sunt aliis excellentiores. Ibi iudex Apostolorum chorus. Ibi laudabi-



dabilis Prophetarum numerus. Ibi Martyrum Prophetar.  
Martyres.  
victor exercitus, ob certaminis & passionis co-  
ronam laureatus: tantò illic lætior, quantò hic  
pro Christi nomine duriùs afflictus. Ibi Con- Confessores,  
fessorum constantia præmii sui perceptione con-  
solata. Ibi triumphantes Virgines: quæ carnis Virgines  
concupiscentiam subegerunt per continentiam.

Ibi turba magna, quam dinumerare nemo  
potest, ex omnibus gentibus & tribubus & po-  
pulis & linguis; qui omnes benedicunt Do- Laus Dei  
vocalis.  
Psalm. 149.  
minum in omni tempore, semper laus eius in  
eorum ore: exultationes Dei in gutture eorum,  
Deum sine fine laudantium & dicentium, San- Isai 6.  
ctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.  
Ibi melodiæ sine fine cantantur, ibi melliflua  
hymnorum organa semper audiuntur, ibi omnis  
varietas in multiplici harmonia Deo concinitur.  
Breuiterque in æterna illa beatitudine, qui est Beatitudo  
Paradisi.  
status bonorum omnium aggregatione perfe-  
ctus, bona omnia suis contrariis sunt imper-  
mixta, & vltimata consummatione perfecta.  
Vnde tanta ibi est felicitas, & tanta pulchri-  
tudo, tanta iucunditas & tanta iubilatio: vt si  
illic non ampliùs quàm vnus diei mora lice-  
ret manere, propter hoc solum innumerabiles  
voluptatis dies hic deberes contemnere. Illi  
comparata omnis aliunde suauitas dolor est, o-  
nis iucunditas mœror: omne dulce amarum,  
omne decorum fœdum, & quicquid aliud de-  
lectare potest, molestum. Tanta ibi est Deo  
obediendi suauitas & facilitas, quanta cum eo  
regnandi viuendi que est felicitas.

Non-



Animarum  
nondum est  
perfecta glo-  
ria.

Apocal. 6.

Esaiæ 61.

Resurgen-  
tium corpo-  
rum quanti-  
tas.  
Ephes 4.

Resurgen-  
tium corpo-  
rum inte-  
gritas.

Nondum tamen beatarum animarum con-  
summari potest beatitudo, perfici gloria & com-  
pleri læticia: adeò eas vrget naturale illud de-  
siderium resurrectionis & corporum suorum  
glorificationis. Homo nondum erit integer,  
cui integra beatitudo detur, priusquam nume-  
rus conseruorum & fratrum eius compleatur.  
Ante resurrectionem stolas singulas acceperunt,  
quia adhuc animæ solius perfruuntur beatitu-  
dine: postea binas accepturi sunt, quando  
etiam corporum vestientur incorruptione: In  
terra sua duplicia possidebunt: quando cum  
felicitate & requie animarum resurgent ad im-  
mortalitatem & gloriam corporum.

Omnes in quacunque ætate fuerint mor-  
tui, resurgent in virum perfectum, in mensu-  
ram ætatis plenitudinis Christi. Non quidem  
in mensuram staturæ eius: sed sicut Christus,  
natus triginta duos annos & tres menses, in iu-  
uentutis flore mortuus est & resurrexit: ita  
etiam illi in eadem corporis & iuuentute &  
mensura resurgent, quam circa eos Christi an-  
nos homo naturæ perfectæ habere solet. Ille  
qui de nihilo fecit, quod voluit, supplebit ma-  
teriam quæ defuerit, aut eam per totum cor-  
pus disperget, si in vna parte superabundaue-  
rit enormiter. Nihil erit deforme, nihil inde-  
corum, quia resurrectio damna reparabit cor-  
porum, quibus æterna erit vita sine morte, &  
perpetua iuuentus sine senectute: per tot sæ-  
cula flos ille iuuentutis non violabitur, quia  
corpora membris omnibus instaurata immar-  
cessibili sanitate potentur. Tamen sicut Chri-  
stus



Itus resurgens à mortuis, retinuit plagas suæ  
 passionis: ita & martyres, in suo corpore mar-  
 tyrii sui habebunt cicatrices in quo nulla ine-  
 rit deformitas, sed martyrii in eo relucebit au-  
 reola & dignitas. Quæ quia non est de bea-  
 titudinis essentia, & sine ea adhuc anima esset  
 verè beata: ideo ipsis est accidentale præmium,  
 quod pro obiecto bonum habet creatum: si-  
 cut & corporis dotes, quæ sequuntur.

Martyrum  
 cicatrices.

Norandum.

Accidentale  
 præmium.

**B**Eatorum corpora hic seminantur, & per na-  
 turam generantur in corruptione, surgent  
 autem in incorruptione: quia incorruptibilia,  
 impassibilia, & immortalia. Omnis fragilitas  
 ac labea terrena ab iis euacuabitur, & in cæle-  
 stem puritatem ac stabilitatem conuertetur:  
 non enim cum summo bono, qui Deus est,  
 malum aliquod esse potest. Vnde si etiam es-  
 sent in inferno, non læderentur, sicut Ananias,  
 Azarias, Misaël in fornace ardenti non læde-  
 bantur, sicut etiam solis radius non comburi-  
 tur aut secatur.

Impassibili-  
 tas, prima  
 dotes corpo-  
 ris.  
 1. Cor. 15.

Daniel. 3.

**S**Eminantur in ignobilitate, quia vilia, opa-  
 ca, & sine omni honore, surgent autem in  
 gloria: quia gloriosa, luminosa & translucida.  
 Gloria animæ redundabit in corpus, sicut per  
 crySTALLUM solis relucet radius: vnde & secun-  
 dum differentiam gloriæ animarum, differens  
 erit claritas corporum: quæ tantò erunt sole  
 clariora, quanta terrenis præstant cælestia. Si-  
 mul & claritate fulgebunt, & puritate translu-  
 cebunt. Ipsa etiam corporis harmonia omni-  
 um

Claritas se-  
 cunda dotes.



um oculis patebit, & vnusquisque erit conspicibilis alteri, sicut nunc non potest esse conspicibilis sibi ipsi. Quantus fulgor, quanta claritas, quanta pulchritudo erit in illa gloria, vbi innumerabilia erunt corpora gloriola?

Subtilitas,  
tertia dos.

Corpus glo-  
riosum om-  
nia pene-  
trat.

Corpora  
vera erunt.

Sensus ex-  
teriores.

**S**eminantur in infirmitate, surgent autem in virtute: quia subtilia, penetrabilia, & quicquid volent, euertere valentia. Per gloriam ita auferetur grossities corporum, vt nulla clausura, nullumque obstaculum possit impedire, quin liberrime omnia possint penetrare: sicut & solis radius pertansit vitrum. Cuius rei exemplum in corpore Christi præcessit: quod exiuit clauso Mariæ Virginis vtero, & clauso resurrexit sepulchro: quod ad discipulos suos clausis ianuis intrauit, & cælos sine eorum dilaceratione penetrauit. Sicut etiam anima nunc est cum suo corpore, & candens ferrum cum igne: ita & corpus gloriosum etiam cum non glorioso poterit esse. Corporum spiritualium talis erit subtilitas, vt etiam in eis seruetur carnis & ossis veritas: nec corpora esse desistent, quæ spiritu viuificante subsistent. Quoniam vera erunt corpora, non vana aut phantastica: tangi poterunt & impellenti resistere: latere etiam poterunt, quia per subtilitatem spiritualis potentiaæ humani tactus organum poterunt penetrare. Sicut anima ibi habebit suos sensus interiores, ita & corpus habebit suos sensus exteriores. Visus reficietur in contemplatione Christi humanitatis: & auditus, in audienda melodia laudis Dei vocalis: in

Deo



Deo anima tanta delectatione inebriabitur interiorius, vt delectari non indigeat in aliis sensibus exterioribus. Deus etenim erit omnia in omnibus, erit speculum visui, cythara auditui, mel gustui, balsamum olfactui, & flos delectabilis tactui.

**S**eminantur corpora animalia, quia graua & Agiliras  
 tarda ad exequendum animæ desideria; quarta dos.  
 surgent autem spiritualia, non quòd vertantur in spiritum, aërem aut ventum (spiritus Luc. 24.  
 enim carnem & ossa non habet) sed quia instar spiritûs agilia erunt, leuia & velocia, nec magis ad deorsum quam ad sursum procliuia. Caro spiritui seruiens spiritualis dicitur, quia spiritui summa obtemperandi facilitate subditur, vbi enim volet spiritus, statim ibidem erit & corpus. Quam citò sol oriens occidentem suo radio tangit, & visus sursum respiciens stellas pertingit: quanta etiam velocitate Angeli & anima seipsos mouent sine corpore, tam velociter anima poterit corpus suum de cælo ad terram, & de terra ad cælum mouère. In quo motu non fatigabitur: & quia subtile erit, propter medii resistantiam non retardabitur. Imò etiam quicquid voluerit, mouere aut euertere poterit: nec in eo maiori laborabit Fortitudo beati.  
 conatu, quàm nos modò in oculorum motu. quocunque iuerit, semper æquè felix erit, quia Deum semper præsentem habebit. Tanta agilitas grata erit & iucunda, non quòd sit ei necessaria, aut quòd adsit propter indigentiam, sed tantum ad nobilitatis suæ ostensionem: sicut  
 &



& nos non vtimur omnibus perfectionibus quas habemus, & quas habere gaudemus.

Psalm. 30.

Paradisi  
gaudia in-  
comprehen-  
sibilia.

1. Cor. 2.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam præparasti timentibus te? ô quantum nos amas, qui nos miseros ad tantam gloriam reseruas? Gloriosa dicta sunt de te, ô ciuitas Dei, tamen possibilis mihi esset omnes stellæ cæli numerare, totumque mare in paruo vase comprimere, quàm minimam partem beatitudinis vnius animæ exprimere. Eius tot & tanta sunt gaudia, vt omnes arithmetici non possent ea numerare, nec omnes geometræ mensurare, nec omnes Rhetores ea sermone explicare. Non solum eloquii nostri excedit facultatem, sed etiam intelligentiæ nostræ capacitatem: veriùs cogitatur, quàm dicitur, & veriùs est quàm cogitatur: quicquid de ipsa cogitare aut æstimare potest, minùs ipsa est, quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quid præparauit Deus diligentibus se. Fide non capitur, spe non attingitur, charitate non comprehenditur, quia omnia desideria & vota transgreditur: acquiri potest, æstimari non potest: plus enim illic est adeptura charitas, quàm fides credidit, & spes desiderauit, maiora sunt Dei præmia, quàm Sanctorum desideria. Tanta siquidem est dulcedo cælestis patriæ: vt si vna eius guttula in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret: si Deus in inferno à damnatis videretur, infernus in amenissimum paradysum conuerteretur. Ex hoc euidenter ostenditur, quantum & quale bonum.







canda vulnera: & dicit ei quem secturus est, patiens esto, sustine, tolera. In doloribus exigit patientiam, sed post dolores promittit sanitatem: ægrotus autem nisi sanitatis spem sibi proponeret, in dolore quem patitur, deficeret. In agone positus spes coronæ vulnerum mitigat dolorem, ita & iugum Domini portantibus spes gloriæ miram parit consolationem: animum in Deum erigit, & mala, quæ exterius tolerat, interiùs non sentit.

Spes temporalium fallax.

Spes de Deo serax.

Eccl. 12.

Non paruam iucunditatem affert spes, cuius postea erit res: Temporalia non habita angunt, habita autem vilescunt. Amas uxorem non ductam, sed adhuc ducendam, & fortè ducenda amatur, quæ ducta odio habebitur: quare hoc? quia certè talis non apparuit ducta, qualis ab animo pingebatur ducenda, Deus autem qui amatur absens, non vilescit præsens: plus de eo inuenit adeptio, quàm de eo formabat cogitatio: plus amabimus, dum eum viderimus, si eum potuimus amare, antequam videremus: ardentius diligitur adeptus, quam desideratus. Nisi priùs ametur, postea non habebitur: porrò si amatur, non ideo habetur, necesse enim est, vt super omnia diligatur. Vanitas vanitatum & omnia vanitas, quam magna est miseria creatorem amittere pro creatura. Huius mundi sequi naufragium, & non magis ad Dei Sanctorumque eius conuolare contubernium: vacarèque & videre, quàm suavis est Dominus, & quàm magna multitudo dulcedinis eius. Si considerares, quæ & quan-



quanta tibi promittuntur in cælis, vilescerent tibi omnia, quæ habentur in terris.

Cur igitur, frater charissime, in cælum non curris? Vbi Deum sine fine videbis, sine amissione possidebis, & sine fastidio amabis? Magnus numerus parentum, fratrum, sororum & amicorum tuorum te illic expectat, frequens & copiosa turba illic te desiderat: iam de sua beatitudine securi, & de tua salute solliciti. Quorum societate ne priueris, omnia tibi agenda sunt, non est onerosum, si attenderis. Tantùm age pœnitentiam, & appropinquabit tibi regnum cælorum: quò nos perducatur, qui sine fine viuunt & regnant. Amen.

### SEXTÆ PARTIS CONCLUSIO.

**O**B hæc & multa alia, quæ in hanc sententiam dici poterant, planè vides, frater charissime, quam bonus est Deus, & quam facilis peccata remittere: quanta apud eum est misericordia, & peccatis redemptio copiosa. Cuius bonitatis diuitias considerans Psalmista, Deum non solum dixit misericordem, sed eum ipsam vocauit misericordiam. Tu Deus (inquit) susceptor meus es, Deus meus misericordia mea. Perpende diuinæ pietatis sinum, considera apertum tibi diuinæ misericordiæ gremium, & noli desperare, noli teipsum deicere, noli mœrere deficere, patet tibi ara misericordiæ, & tu te vertis ad vincula dementiæ?



Diabolus  
cur faciat  
desperare.

Spes sine  
timore pe-  
riculosa.

Nora di-  
ctum,

aperitur tibi thesaurus diuinæ bonitatis, & tu profugis in barathrum miserandæ desperationis? Deus te inuitat ad pœnitentiam, tibi offert paratam veniam: porrigit tibi auxilii sui dextram, & auertis faciem? reſeratur tibi cœlum, & tu te proripis ad infelicem laqueum, & ad inferni præcipitium? Diabolus ſciens pœnitentiæ virtutem, te in hanc induxit deſperationem, ſpem tibi abſtulit, quæ eſt fundamentum & anchora noſtræ ſalutis, & dux noſtri ad Deum itineris. Quod ſi diaboli laqueos euadere cupis, & in ſpem te erigere, tantum recede à malo & fac bonum, & habebis ſpem ſalutis: bona etenim opera faciunt ſperare, mala verò deſperare: prima ſalus eſt declinare culpam, ſecunda verò, eius ſperare veniam.

Quæ ſpes diuinæ miſericordiæ non ſufficit ad ſalutem ſine timore eius iuſtitia: incasum Dei miſericordiam ſperaueris, niſi etiam eius iuſtitiam pertinueris. Deus enim qui miſericors eſt, iuſtus ſimul eſt: conſiderans quàm miſericors eſt, noli deſperare: conſiderans quàm iuſtus eſt, noli peccata tua negligere. Nihil ſecurius, quàm ſub ſpe timere, & ſpem timori coniungere: ne fortè incauta mens, aut ſeſe in vitiis per deſperationem deiiciat, aut per præſumptionem corruat. Timendum eſt, ne in aliam voraginem incurras, & moriaris de miſericordia Dei præſumendo, qui mori non potuiſti de ea deſperando: habeâſque in corde tuo cogitationes à prioribus quidem diuerſas, ſed tibi non minus peruerſas, & ruruſ in corde tuo dicere incipias: Quacunque hora inge-  
muero,



muero, omnium iniquitatum mearum non recordabitur Dominus: quare igitur conuertar hodie, & non cras? Sed quid, frater charissime, si ante crastinum erit finis tuus? qui pœnitenti tibi tantam spondet misericordiam, peccanti tibi non promittit crastinum diem. Metuendum est, ne dum ad finem differtur conuersio, incerta mors citius præueniat, quam pœnitentia subueniat. Ne sic sperando augeas peccatum, datus tibi est dies mortis incertus: rursus etiam ne desperando augeas peccatum, datus tibi est pœnitentiæ portus. Quæ etsi in fine dierum bona est: melior tamen est, quæ longè ante finem agitur, vt ad vitam illam beatam securiùs transeat, vbi Deum sine fine videbimus, amabimus & laudabimus in sæcula sæculorum. Amen.

PARAENESEOS AD POENITENTIAM  
CONCLUSIO.

**D**Eo optimo maximo cœptis nostris aspirante, conatusque nostros adinuante, pro ingenioli nostri modùlo obiectionibus tuis vtcunque satisfecimus, frater in Christo charissime. Iam iam receptui canendum est, supremaque manus instituto operi ad-mouenda: si prius id te monuero, ne committas, vt cum hæc parænesis tui causa ad plures peruenerit, quos & ad agendam pœnitentiam adduxerit, & solito meliores reddiderit: tibi omnium vni nihil contulerit, nihilque adue-



xerit emolumentum: durumque cor tuum non plus emolliuerit, quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes. Sicut enim corpori exitiale est corporalem cibum non posse percipere, ita animæ perniciosissimum est spirituales delicias fastidire. Vtunque res cadat, tu ipse videris, anima tua in manibus tuis.

Adulato-  
rum confi-  
lia.

Sua Scripto-  
ris accusa-  
tio.


Scio equidem, quòd dum hæc mea parænetica Epistola tibi reddita fuerit, eam conuocatis amicis tuis ostendens, & de vitæ tuæ causâ à fautoribus, mortis consilium quæres: qui dum non te, sed res tuas diligunt, omnia tibi ad assentationem dicunt: quorum consilia vel tuo ipsius iudicio te perdiderunt, & ad tantam peccandi licentiam perduxerunt. Qui ut à sano meo consilio in peruersam suam te auocent sententiam, de meo, sat scio, tibi dicent: quòd in oculo tuo video festucam, in meo autem non video trabem: quod te laudabilem vitupero, & me vituperabilem collaudo: quòdque aliis medicinam adhibeo at ipse vlceribus scateo. Ingenuè & ex animo profiteor, frater charissime, quòd manus illæ mundæ esse debent, quæ alios volunt mundare, lucemque videre debet, qui de tenebris vult iudicare: cuiusmodi non sum. Pulchrum etenim depinxi hominem turpis pictor: atque vtinam sic quotidie viuerem, vt intra meipsum accusatricem conscientiam non haberem! Te autem ad pœnitentiæ littus dirigo, qui adhuc in peccatorum sordibus fluctuo: circa vitam tuam sum austerus, & circa vitam meam benignus:

cum



cùm potius deberes me audire parua leuiaque mandantem & magna arduaque facientem. Veruntamen ille qui præcepit: Quæ dicunt, Matth. 23. facite, quæ autem faciunt, nolite facere: ipse inde prohibet sana iniustorum consilia negligere. Est quandoque olitor opportuna locutus. Etenim sicut bonus Dominus mali serui ministerio bonam facit eleemosynam: ita & per me, licet impœnitentem, misericors Dominus te reuocare voluit ad pœnitentiam. Quoniam autem loquendi authoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur: illa quoque vox libentiùs auditorum corda penetrat, quàm dicentis vita commendat. Idcirco vt quod voce prædico, opere expleam, aliosque erigendo, ipse à peccatis meis resurgam, omnes tam legentes, quàm audientes, qui ex his laboribus nostris animæ suæ fructum retulerint, obnixè rogo atque obtestor, vt pro mea Scriptoris anima dicant, Pater noster & Aue Maria.

F I N I S.






*Ad Reuerendum in Christo Patrem ac Dominum D.  
Ioannem Loacum Prepositum Euersamensem de præ-  
senti opusculo Carmen Ioan. Bondins I. V. Licent.*


**E**gregium studium est, quod, Vir præclare, videmus  
In conquirendis te posuisse libris.  
En tua iam studioque tuo, dignumque labore  
Eximium hunc fructum Bibliotheca dedit.  
Hinc liber hic prodit, pacis data symbola portant  
Inter mortales firma, Deumque simul.  
Hinc utinam manibusque terant animoque; reuoluant,  
Quotquot de Christi nomine nomen habent.  
Tempora luctifica, & turbarum plena videmus,  
Ira Dei feruens undique bella ciet:  
Ipse suum à nobis regnum transferre minatur:  
Dignaque peccatis nos dare in exitia.  
Ecce, tot vna malis præsens medicina medetur:  
Quam facilem nobis exhibet iste Liber.  
Quando bella fremunt, antiquæque ingruit hostis,  
Offensivæque patent signa tremenda Dei.  
Tunc exempla docent Iosæ Regis & Esdræ,  
Publica cum irato fœdera inire Deo.  
O utinam tuus iste Labor, Vir maxime, nobis  
Esse queat tanti prospera causa boni.

























Th  
2910